GALATEUS
DE MORIBUS
ET
Enchiridion
ETHICUM.
SEU
EPITOME
PHILOSOPHIÆ
MORALIS.

Præcepta breviter & dilucidè methodoque nova & facili explicata exhibens.

Pro angustâ tyronum memoria.

PER
CASP. BARTHOLINUM & alios.



OXONIÆ,
Excudebat H·H. Impensis GUIL. WEBB
1650.

I. C.
GALATEUS,
IN QUO SUB PERSONA SENIS ADOlescentem informantis, disputatur, qui mores in quotidiano cum aliis convictu aut tenendi sint aut fugiendi; ex Italico Latinus,

Interprete

N. C.

CUm iter hoc vitæ humanæ, quod à me, ut vides, magna ex parte jam est confectum, tu nunc primùm ingrediaris: egoque, quod verè & ex animo facio, multum te amem: constitui mecum, unum atque alterum locum tibi indicare, ad quem ipsa experientia edoctus, metuerem, ne facillimè vel laberere, vel quocunq; saltem modo aberrares. Ut ita præceptis his meis instructus, cum salute animæ tuæ,

& nobilis, rectam viam posses tenere. Quia verò fieri potest, ut ætas hæc tua, quæ adhuc tenera est, ad graviores subtilioresque doctrinas percipiendum minùs sit idonea; ego, istis in tempus magis conveniens reservatis, in præsentia de iis, quæ tamen fortè nonnullis frivola videri possint, agere incipiam, nimirum quibus rebus studere, & qua ratione vitam instituere aliquem oporteat, ut in familiari cum aliis hominibus conversatione, bene moratus, amabilis, & elegans habeatur, quod ipsum profectò vel revera virtus est, vel res propter similitudinem quàm proximè ad virtutem accedens. Etiamsi enim, aut liberalem, aut constantem, aut magnanimum esse, per se, sine ullo dubio, laudabilius & majus sit, quàm esse moribus honestè eleganterque politum; nihilominus tamen usu venit, ut morum illa suavitas, & gestuum sermonisq; decora & bella concinnitas, non minus possessori suo adjumenti afferant, quàm animi vel magnitudo, vel alacritas, his ipsis virtutibus ornato conferre queant. Illa enim frequenter & quidem singulis diebus multis modis sunt usurpanda. cùm quotidie

Propositio.

Doctrina hujus utilitas & necessitas.

quotidie unicuique necesse sit aliorum hominum consuetudine & colloquio uti: sed justitia, fortitudo, & aliæ virtutes nobiliores magisque eximiæ, multo exercentur rarius. Neque enim homo liberalis aut magnanimus obstrictus est, ut singulis horis magnificè agat, cùm hoc nullo à quoquam fieri possit modo: similiter quoque viri animosi & cordati, ut virtutis suæ excellentiam declarent, rarissimè sunt obligati. Quapropter quanto hæc magnitudine & quasi pondere suo vincunt illa, tanto ab his, & numero, & usu crebriùs iterato, vicissim illa superantur. Possem ego ibi, nisi factu indecorum esset, multos nominatim quoque recensere, qui cùm aliàs pretii non usque adeo magni essent, tamen omnibus modis permagno sunt æstimati, unam tantùm ob causam, quod in sua, quam cum aliis haberent, cósuetudine indolem quandam festivam & gratiosam præ se ferrent: qua quidem ipsâ adjuti & evecti, ad summos amplissimarum dignitatum gradus pervenerũt, longissimóque post se intervallo reliquerũt eos, qui virtutibus illis, de quibus paulò ante dicebamus, longè nobilioribus

bilioribus magisque egregiis excellebant. Sicuti enim mores amabiles & ingenui vim habent excitandi benevolentiam eorum quibuscum vivimus: ita ex adverso mores rigidi & insulsi, in odium & contemptum nostri alios impellunt. Quare etiamsi legibus publicis nulla pœna morum rusticitati odiosæ, utpote peccato leviculo (magnum enim revera non est) sit constituta: nihilominus tamen videmus ipsam naturam castigatione satis aspera nos corrigere, cùm efficit, ut hanc ob caussam consortio & benevolentia hominum planè spoliemur. Et certe, sicuti alia gravia peccata plus detrimenti afferunt, ita hæc leviora, plures aut minimum, crebriores molestias inducunt. Quemadmodum enim homines quia feris bestiis sibi metuunt, minutaque illa animalcula, quales sunt culices, ut muscæ formidine non dignantur, & tamen nihilominus, propter continuas molestias, quibus ab hoc genere inquietamur, multo frequentius ab his bestiolis, quàm à belluis illis immanibus bilem sibi sentiunt moveri: ita accidit, ut plerique omnes, duplo majori odio prosequantur homines intractabiles & agrestes,

agrestes, quàm alios etiam insigniter flagitiosos. Quapropter dubium esse nemini potest, quin unicuique, qui non in solitudine, aut eremitarum latibulis, sed in cœtu & frequentia vivere constituerit, mirum in modum utile sit, si in moribus, suaque cum aliis conversatione gratiosus & jucundus esse norit. Taceo jam quod aliæ virtutes multa & varia supellectille indigent, quæ si desit, parum illæ aut nihil proficiunt, cùm interim hæc morum elegantia, etiam sine patrimonio, & opulenta & valida sit, utpote quæ in verbis tantùm & actionibus consistat, Hac autem in parte quo facilius fugi officio tuo possis, sciendum tibi est convenire, ut morem vivendi tuum attemperes & moderens, non tuo arbitrio, sed ad voluntatem & desideria eorum quibuscum converseris, ad quæ quidem ille, certa tamen cum moderatione, omnino est dirigendus. Nam qui in usu & convictu vitæ quotidianæ, aliorum voluntati cum quodam prolubio supra modum obsecundare studet: ille vel parasitus, vel gesticulator, vel forte etiam scurra potius, quam homo bene moratus & honestus esse videatur: sicuti è contra-

rio is qui nihil pensi habet, sive placeat aliis, sive displiceat, homo rudis, incompositus & agrestis meritò censetur. Ut igitur tum cum non propriæ sed alienæ voluptatis rationem habemus, mores nostri sint grati & jucundi, principio investigandum nobis est, qualesnam res illæ sint, quibus in universum maxima pars hominum delectantur: & quales illæ, quas tanquam molestas ut plurimùm aversantur. Hinc enim qui mores in conversatione cum aliis aut vitandi, aut eligendi sint, facilè deprehendemus.

Summa hujus libelli.

Dicimus igitur quòd qualibet res, quæ cuipiam ex sensibus molesta & gravis, aut appetentiæ contraria est, & præterea quæ imaginem rerum turpium & odiosarum animo subjicit, aut quæ etiam adversatur intellectui, quòd inquam hujusmodi res, aut actio, tanquam magnopere aliis displicens, accuratè debeat vitari. Quapropter in præsentia aliorum non solum non faciendæ sunt res impuræ aut fœtidæ, aut tediosæ, aut stomachum moventes, verumetiam mentionem earum fieri dedecet. Neque enim actio tantùm aut recordatio

rerum

rerum hujuscemodi displicet, sed eas quocunq; vel modo, vel gestu, imaginationi alterius adumbrare, vehementer molestum esse consuevit.

Proinde indecora & inconveniens eorum est consuetudo, qui in aliorum conspectu, palàm quamcunque libet corporis sui partem manu contrectant. Ad eundem modum, non decet hominem honestum & bene moratum, aliis intuentibus, naturali necessitati se præparare, aut postquam à sella familiari redierit, in eorum præsentia femoralia thoraci adstringere. Item, si me audiet, ex hujusmodi locis regressus, ne quidem manus in honesta sodalitate abluet, siquidem eo ipso quod lavat, speciem quandam spurcitiei animis eorum repræsentat. Eandem quoque ob caussam consuetudo minimè decora est, si quis re quapiam odiosa, quod fit, in viis oblata, statim ad comitem se convertat, eique illam monstret: multo minus decebit alteri rem fœtidam, ut olfaciat, porrigere, quod nonnunquam facere aliqui solent, atque adeo urgere, cùm etiam naribus aliorum rem illam graveolentem admovent, & inquinant

Exempla eorum quæ sensib. adversantur.

Odorare amabo quantopere hoc fœteat: cùm potius dicendum esset, Quia fœtet, noli odorare. Sicuti jam hi ipsi ejusdemque generis mores molestiam afferunt iis sensibus ad quos propriè pertinent: ita aures quoque offenduntur crepitu dentium, cum ii compressi quasi atteruntur: item flatu, stridore, & strepitu ex collisione duorum lapidum, aut frictione ferramentorum orto: à quibus quantum fieri potest, quilibet sibi cavebit. Neque tamen unam hanc cautionem sibi sufficere existimabit, verùm etiam à cantu, præsertim si cui vox inconcinna & acerba sit, sociosq; quibuscum cantitet, non habeat, studiosissimè abstinebit. Quod tamen à paucissimis fieri ferè solet. Immo ii qui natura minimè idonei sunt, quàm sæpissimè tale quid agere videntur. Sunt quoque nonnulli qui in tussi aut sternutamento tantum concitant sonitum, ut aliorum aures quasi obtundant, quorum aliqui eo ipso tempore faciem quoque eorum quibus adsunt, valde equidem inconsideratè & immodestè, pituitæ suæ aspergine collinunt. Invenias quoque qui inter oscitandum, aut ululare, aut ru-

Auditui molesta.

dere soleat, quique tum, ore sic diducto & hiante, nihilominus loqui, & sermonem suum continuare velit: emittens interim vocem seu potius fremitum quendam, non dissimilem ei, qui auditur in mutis, cum se ipsos vi quadam ad loquendum impellere annituntur. Qui quidem mores indecori, simulque & auribus & oculis ingratissimi, accuratè sunt fugiendi. Huc accidit quod homo bene moratus à nimia quoque oscedine sibi debeat temperare, & id non solùm ob caussas enumeratas, verùm etiam quòd hujusmodi oscitatio videatur oriri ex quadam satietate & fastidio: quod is, qui usque adeo sæpe oscitat, alibi potius, quàm ubi est, esse desideret: atque adeo præsens sodalitium, colloquia, & mores eorum cuibuscum est aversetur. Et certè etiamsi quis plerumque ad oscitandum promptus sit: nihilominus tamen, si negotio aliquo jucundo, aut meditatione seria sit occupatus, facilè oscitationis obliviscitur. Sed ei qui ab omni negotio vacuus & segnis est, facillimè se ea suggerit. Proinde fit, si unus aliquis oscitet, in cœtu hominum ab animo, & corpore otiosorum, ut

Oscitatio.

tum quoque omnes illi, quod sæpenumero factum videre potuisti, continuò iterum oscitent: quasi ille in memoriam hoc eis revocârit, quod ipsi, si modo recordati essent, priores facere voluissent. Cùmque in Lingua quoque Latina hominem oscitantem cum negligente & socorde planè eundem esse constet: vitanda est perversa hæc consuetudo, quæ ut diximus, & visu injucunda, & auditu odiosa & appetitui quoque ipsi contraria est. Ea enim si quando utamur, non solùm significamus, nobis sodalitium, in quo sumus, non magnopere placere: verùm de nobismet ipsis indicium quoddam facimus parum honorificum, quòd scilicet simus animo somnolento & veternoso, quod ipsum certè parum nos jucundos & amabiles facit iis, quibuscum conversamur. Indecorum quoque est cum screatu & tussi salivam & mucum expectorare, aut posiquam nasum emunxeris, in strophiolum diductum inspicere, quasi fieri potuerit, ut margaritæ tibi aut pyropi è cerebro exciderent. Hujusmodi enim in aliorum convictu actiones & mores ita pleni sunt fastidij & nauseę, ut propter eos ne-

Ut ameris amabilis esto.

mo nobis bene cupere possit. Immo si quis fortè animo in nos propensiori esset, is istis & similibus planè à nobis alienaretur. Possent sane homines isti tam malè morati, & tamen aliorum benevolentiam & amorem affectantes, comparari cum aliqua muliercula mucida & pannosa, cineribus incubante, eosque huc illuc manibus pedibusque dissipante, & insuper subinde tussiente, screante, salivamque & sputum suum expectorante, iisq; circumquaque omnia inquinante & fœdante, & tamen sibi imaginante, hoc pacto procum se aliquem juvenculum & formosum sibi allecturam & acquisituram esse; cum tamen ea ratione magis à se ipsum alienatura, & quasi nauseabundum repulsura videatur. Inconcinnus quoque mos est, si quis poculo vini, è quo alius est bibiturus, aut cibo qui alteri apponitur comedendus, odorandi gratia nasum admoveat; Immo nolim quenquam vel ea quoque odorari, quæ ipse comedere aut bibere cogitat: siquidem fieri potest, ut ex naribus aliquid excidat, quod alteri nauseam conciter, etiamsi eo fortè tempore nihil deciderit. Præterea si meo consilio ob-

obtemperare velis, vitrum è quo tu biberis, non porriges alteri ut bibat, nisi is fortè plusquàm domesticâ familiaritate tibi sit conjunctus. Multo minus pyrum, aut quemcunque ex fructibus alium, dentibus tuis arrosum dabis alteri: neque hoc te movebit, quòd res jam enumeratæ, tibi non magni momenti esse videantur: vulnera enim, etiam minuta, si multa sint, hominem solent occidere. Fuit jam pridem Veronæ Antistes sacrarum literarum scientissimus, omnique liberali doctrina politissimus, cui nomen erat Joanni Matthæo Giberto. Is inter cæteras suas consuetudines laude dignissimas, eã quoque morum elegantia, eaque liberalitate fuit erga homines ingenuos & honestos suo hospitio utentes, ut eos domi suæ omni honori afficeret, non quidem magnificentia, quæ modum excederet, sed mediocri, atque adeo tali, quæ hominem sacris initiatum deceret. Evenit igitur, cùm eo tempore Veronam transiret homo quidam nobilis, quem Comitem Richardum appellabãt, ut is dies complures cum hoc Episcopo, ejusque familia, in qua plerique omnes & moribus & literis satis bene erant exculti,

Comes Richardus.

exculti, commoraretur. Quibus ipsis cum hic hospes inter viros ordinis equestris maximè politus & festivus esse videretur, magnopere eum laudabant, & omnibus deinceps quoque modis maximi eum fecissent, nisi minuta quædam labecula, moribus illius fuisset aspersa. Quam cùm præsul vir intelligens ipse quoque animadvertisset: rem illam omnem cum quibusdam suorum intima sibi familiaritate conjunctis, communicavit, qui etiamsi talem hospitem temere offendere vererentur, tandem tamen de eo amicè Comitem admonere operę precium esse censuerunt. Quocirca quando jam Comes bona cum gratia die sequenti discessurus, omnibus vale dixisset, Episcopus unum quempiam ex familiaribus hominem prudentem & circumspectum accersivit, eique hoc negotii dedit, ut Comitem equo insedentem, iterque jam ingressurum aliquousque, tanquam honorificæ affectationis gratia, deduceret: atque inter eundem, ubi opportunum videretur, quàm maximè fieri posset, comiter amicéque iluld, de quo inter ipsos jam antea convenerat, ei significaret. Erat autem ille Episcopi

domesticus

domesticus homo provecta ætate, singulari doctrina, incredibili humanitate, præclarâ eloquentiâ, vultu quoque admodum suavi & gratioso: qui ipse bonam vitæ suæ partem in aulis magnorum principum consumpserat, vocabaturque & fortè etiamnum vocatur Galateus, cujus petitione & consilio inductus, primo hunc ipsum libellum cœpi conscribere. Is igitur cùm Comiti abeunti à latere esset, statim se in suavissimum de variis rebus sermonem apud ipsum insinuavit, cumq; jam de his jam de aliis rebus jucundè fabulati essent; tempusq; Veronam regrediendi prope adesse videretur, atq; ipse adeo Comes instaret ut rediret ad suos, eoq; illum nomine retrorsum aliquantulum deduceret: ibi tandem Galateus, vultu sereno, verbisq; jucundissimis ita Comitem est allocutus: Maximas tibi, mi Domine, Antistes Veronensis, dominus meus, gratias agit, pro honore qui sibi à te habitus est, eo ipso, quòd non dedignatus es hîc divertere, & in ædium suarum angustiis aliquantisper commorari. Præterea cùm hanc tuam erga se humanitatem planè singularem esse agnosceret, injunxit mihi, ut munus aliquod

Galateus.

suo

suo nomine tibi offerrem, majoremque in modum à te petit ut id ipsum bono lætoque animo accipere tibi libeat. Munus autem hoc est: judicat te dominus Episcopus virum nobilem esse, usque adeo venustum, optimisque moribus excultum, ut vix unquam tui hac in parte similem vidisse se arbitretur. Quo etiam nomine factum est, ut cùm accuratiori quadã consideratione mores tuos contemplaretur, sigillatimque omnia examinaret, nihil omnino in iis inveniret, quod non summopere & festivum & commendatione dignissimum esse videretur. Immo sine ulla plane exceptione te probaret, nisi uni solum-modo actui tuo nonnihil deformitatis inesset, quando scilicet in mensa inter manducandum gustatione oris & labiorum, velut popysmate quodam novo, aures assidentium non mediocriter offendis. Id quod dominus præsul indicari tibi voluit, petitque, ut quàm accuratissimè deinceps a vitiosa hac consuetudine studeas abstinere, & ut amicam hanc reprehensionẽ, cum admonitione conjunctam loco pretiocissimi muneris bono animo accipias. Certò enim hoc sibi persuadet, nemi-

nem

nem in universo orbe esse, qui tali te munere cohonestaret. Comes, qui de hoc defectu suo nunquam antea esset admonitus quando audiret, tale quid quodammodo sibi exprobrari, primo aliquantulum erubuit: sed tamen in morem viri cordati satis citò seipsum recolligens, ita respondit: Quæso meis verbis hæc ad Episcopum referas. Si, dona quibus se mutuò homines afficiunt, omnia talia essent, quale hoc ipsius est, futurum profectò, ut illi multo, quá jam sunt, essent opulentiores. Pro festiva tamen hac ipsius in me humanitate & beneficentia magnas illi gratias ages, certóque illi confirmabis, me deinceps sine dubio & satis accuratè hoc vitium meum esse emendaturum. Tu interim bene vale, & salvus ad tuos redi. Quid jam credemus Episcopum hunc cum sua nobili familia dicturum fuisse istis, quos nonnunquam porcorum instar videmus, toto quasi rostro juri immersos, ut ne semel quidem faciem attollant, aut oculos, atque adeo multò minus manus à cibis appositis usquam dimoveant suas: qui item buccis usque adeo utrinq; inflatis, quasi vel tuba canerent, vel flatu foculũ excitarent,

citarent, non edunt cibos, sed deglutiunt, quos videas manus penè ad cubitum usque commaculare, & mantilia eum in modum conspurcare, ut panni illi laceri, & sordibus abstergendis destinati, nonnunquam his mundiores esse deprehendantur. Iis tamen illi mantilibus non verentur sæpiusculè, aut sudorem detergere (qui propter festinationem & studium vorandi immodicum uberrimè emanans, per frontem & faciem illorum circumquaq; in collum defluit) aut etiam nasum, quotiescunque libuerit, emungere. Profecto homines moribus usque adeo spurcis inquinati, non indigni modò sunt, qui mundissimo nobilis hujus antistitis hospitio excipiantur, verùm etiam ex omnibus iis locis, ubi sunt homines elegantes, planè essent ejiciendi. Cavebit igitur sibi homo moratus, ne ita digitos suos inungat, ut inde mantile contaminetur: id enim nauseam movet videnti. Consuetudo etiam minimè polita est, cum, qui tibi in cibū appositus est, panem, fricando comminuere. Pueri quoq; ingenui qui circa mensæ ministeria [illegible] occupati, nullo modo aut caput, aut quācūq; alterā corporis partē

in

in conſpectu domini ſui, cibum ſumentis, ſcabere debent aut fricare, neque etiam, quæcunque ea ſint, membra veſtibus cooperta, manibus contingere, aut geſtuum ſimilitudine ejus rei indicium præ ſe ferre. Quemadmodum pocillatores nonnulli, ſupinâ quadam incuriâ inſulſi, faciunt, cùm aut manus in ſinum inſerunt, aut eaſdem à tergo ſub veſtibus occultant. Eas enim tum palàm potius in conſpectum aliorum, citra ullam ſuſpicionem, proferre debebant: & quidem ita accuratè lotas & mundas, ut ne minimum quidem ſpurcitiei alicujus ſignũ in iis appareret. Iidem cùm aut patinas menſæ imponendas afferunt, aut pocula bibituro porrigunt, eo ipſo tempore ab ejectione ſputi & tuſſiendo, & quidem multo magis à ſternutando ſibi cavebunt. In his enim & ſimilibus tantundem poteſt, tantundemque faſtidii domino affert, alicujus immunditiei ſuſpicio: quàm ſi revera tale quid contigiſſe cõſtaret. Proinde operam dent miniſtri, ne dominis ſuis hujuſmodi occaſiones ſiniſtrè ſuſpicandi præbeant. Quod enim fieri potuit, æquè tædioſum eſt, ac ſi revera factum fuiſſet. Quod ſi aliquando

liquando aut pyrum afflatum foco exemeris, aut panem tostum sustuleris è pruris, non debebis in ea, cineris tollendi gratia, insiare. Dici enim solet nunquam esse ventum sine aqua, sed potius vel ad patellam levi brachio cinerem excuties, vel rum qua alia ratione commodè eximi possit, cogitabis. Linteolum quoque tuum, quasi recens lotum, alteri non porriges: is enim cui porrigis, an mundum sit ignorat, ideoq; facile hoc modo posset ostendi. Quādo quis cum altero colloquitur, non ita prope ei astabit, ut suo illum halitu possit contingere. Invenias enim, qui alterius animam, etiam non graveolentem, ferre nequeant. Hi & hujus generis mores & consuetudines hominibus magnopere displicent, & propterea studiosè sunt vitandi. Fieri enim potest, ut, quod suprà dictum est, alicui ex sensibus eorum, quibuscum vivimus, molestè adversentur. Jam verò de iis mentionem faciamus, quæ sine peculiari aliqua sensuum molestia, tamen appetitioni & desideriis plerorumque hominum, si quando fiant, displicent. Scito igitur, res multas & varias esse, quas naturali quodam instin-

Displicentia appetitioni.

ctu

ctu homines appetant. Siquidem alij iracundiæ, alij gulæ, alij libidinibus, alij avaritiæ, alij aliis appetitionibus cupiunt satisfacere. In mutua veró cum aliis communione, non videntur homines aliquid eorum quæ commemorata jam sunt, vel requirere vel appetere posse. Etenim illa, non in moribus, congressibus, & cõmunicatione sermonum familiari, sed in aliis quibusdam consistunt. Ea igitur hac in parte expetunt, quæ ex familiari hominum inter se conversatione proficisci præstarique possunt, qualia videntur esse, erga eos quibuscum vivimus benevolentia & observantia, cum suavi quadã voluptate, aliisque his non dissimilibus conjuncta. Propterea nec dici nec fieri debent quæ indicio esse possint, eos quorũ convictu utimur, aut non valdè à nobis amari, aut certè non magni fieri. Proinde cõsuetudo parum concinna videtur esse, quæ tamen multis in usu est, ut dedita quasi opera obdormiãt, eo in loco, ubi societas quæpiã honesta mutuis colloquiis se oblectat. Hoc enim qui faciunt, eo ipso demonstrant, se eos qui adsũt non magni facere, eorũq; præsentiã & colloquia parvæ sibi curæ esse.

Mitto

Mitto jam, quod inter dormiendum, præsertim si quis parum commodè habeat, aliquid committi potest, quod & auditu & visu ingratum sit. Et quidem iisdem illis somnolentis, videas non raro sudorem per faciem, salivamque per barbam defluere. Eandemque ob causam mos videtur molestia non carens, si quis honestorum hominum inter se confabulantium consessu surgat, & per cubiculum inambulet. Reperias quoque nonnullos, qui ita se movent, contorquent, extendunt, item qui oscitant, seque jam in hoc, jam in alterum latus convertunt, quasi eo ipso tempore febri corriperentur. Id magnum profectò signum est, quod sodalitatē cui intersunt, habeant fastidio. Similiter male faciunt ii, qui modò hanc, modò illam epistolā ex pera extrahunt & legunt; & his quidē multò pejus ille, qui forcipula aut cultello educto, totū se ad ungues resecandū cōponit, quasi præsentem societatē nihili faciat, atq; ideo, fallēdi temporis gratia, aliquid aliūde recreationis sibi quærat. Ab istis quoq; moribus, qui multis tamen in usu sunt, studiosè est abstinendū, nimirū, ut intra dētes nō cantemus,

aut digitis pulsum tympanorum imitemur, aut alterna pedum jactatione nos deformemus. Omnibus enim istis qui indicat nihil se alios curare. Præterea nequaquam decet, ita sessum se collocare, ut alteri vel scapulas obvertas, vel cum in modum pedem extollas, ut eæ partes corporis, quas vestibus tegi convenit, aliorum oculis subjiciantur. Hæc enim, & ejusdem generis quæ sunt fieri non solent, nisi apud eos, quorum de nobis judicium non veremur. Verum tamen est, si vir aliquis primarius tale quid in conspectu sui cujusdam domestici, aut amici tenuioris faceret cum non tam superbiæ, quàm amoris & familiaritatis indicium, eo modo esset facturum. Debet etiam quilibet corpore erecto esse, neque in alterum tam quam in fulcrum se inclinare. Qui cum altero colloquitur, non illi latus subinde fodiat, quod multi post singula quaque verba facere consueverunt, in ferè loquendo: *An non dixi ego verum? Ecquid tibi videtur? quid ais mi domine?* dumque ita dicunt, continuo interim cubito suo alterum stimulant.

Vestes. Honeste quoque, pro ratione conditionis & ætatis suæ, vestitus quilibet publicè

publicum prodeat: qui enim aliter facit, alios præ se videtur contemnere. Quam ob causam graviter ferebant, seque despici arbitrabantur cives Patavini, si quando obambulare per civitatem suam conspicarentur nobilem Venetum, non toga honoratiore; sed tunica tantum curtâ indutum, quasi sibi in pago aliquo versari videretur. Vestes præterea non solùm ex panno bono confectæ sint, verùm etiam cum firma quadam animi inductione adigat se ipsum unusquisque, ut, quantum fieri potest, in cultu corporis morem civium & popularium suorum ipse quoq; imitetur, seque ad præsentium temporum consuetudinem traduci patiatur, etiamsi vestes quibus hodie utimur, fortè minùs aut commodæ, aut corpori nostro habiles sint, quàm vel revera fuerunt antiquæ, vel tibi saltem videntur fuisse. Si item tota civitas tua comam tondeat, nolim te unum cæsariem tuam ostentare. Aut si cives omnes barbati sint, nolim te unum conspici imberbem. Hoc enim est singularem & aliis contrarium esse: cùm tamen hominibus, in quotidiana morum consuetudine, non nisi necessitate aliqua,

de

de qua mox dicemus, urgente, debea-
mus adversari. Hoc enim etiam ma-
gis quàm quæcunque alia, cui assueti vi-
mus, vitiositas, hominibus nos red-
dit invisos. Proinde nihil est, quòd in
his similibusque rebus, unus te publicis
omnium moribus opponas, immo po-
tius cum quadam mediocritate illis te
accommodabis: ne scilicet, tu solus
inter cives tuos ille sis, qui tunica ad
talos usque dimissa utatur, cùm reliqui
omnes eandem habeant longè brevio-
rem, & vix ultra zonam prominentē.
Sicuti enim fit, ut, cùm aliquis vultu est
mõstroso, & facie fucis oblita, id est, ta-
li, quæ ab usitata & naturali oris humani
figura plurimū abhorreat, sicuti inquā
fit, ut ille omniū in se oculos cum qua-
dā admiratione convertat: ita etiá pla-
nè simile quippiā accidit iis, qui singu-
lari & inusitato aliis modo & forma ve-
stiuntur, seq; non ad aliorū judicia, sed
suum solummodo appetitum confor-
mant. Horum igitur alios videas in-
cedere coma eleganter promissa, barba
autem vel magna ex parte resecta, vel
etiam ad cutem abrasa: alios reticu-
lo comam astringere, aut pileos quos-
dam grandes more Helvetiorum ca-

piti

piti imponere. Ita fit, ut quilibet admirabundus ad illos respiciat, aliqui etiam quasi circulo facto circumsistant, tanquam eos ibi contemplentur, qui sibi in pugna contra mores totius, ubi vivunt gentis, victores extitisse videantur. Vestes etiam habiles & ad corpus aptæ sint, & cum quodã decoro eidem accommodatæ. Qui enim vestibus utuntur pretiosis & splendidis, quæ tamen neque eleganter factæ, neque corpori suo convenire videntur, ii alterutrum ex duobus indicant: quod nimirum, aut quomodo placeant aut displiceant aliis, non sint soliciti: aut certè, quid venustum & concinnum sit, non intelligant. Atque ita moribus hisce suis suspicionem quoq; in animis eorum quibus familiariter utuntur, concitant, quód eos non magni faciant. Proinde ipsi quoq; ut plurimum toti illi societati parùm accepti sunt, multo minus ab eadem cum quadam benevolentia diliguntur. Præter hos nonnulli alii sunt, qui ulterius progrediuntur, neque solùm sinistrè de se suspicandi occasionem aliis præbent, sed re ipsa & factis quoque tales se gerunt, ut nullo planè modo cum iis conversari quis possit.

possit semper enim toti reliquæ societati in mora sunt, eique incommodare, & molesti esse non desinunt: quando nunquam se expediunt, nunquam satis ex sententia prompti & parati sunt. Imo cùm omnes jam ut mensæ accumbant, præsto sunt, cibique jam appositi, & lotæ sunt manus, tum ipsi, quasi aliquid scripturi, aut calamum cum atramentario, aut ad urinam reddendam matulam poscunt, aut se corpus nondum exercuisse conqueruntur, dicentes interim: *Satis adhuc superest temporis, potestis adhuc aliquantisper expectare: quid sibi vult hodierna diei inusitata festinatio?* Atque ita reliquos omnes impediunt, tanquam ii, qui sui solummodo, suæque commoditatis & voluptatis rationem habeant. Insuper iidem illi in omnibus rebus aliis præferri potioresq; volunt haberi, se in lectulos mollissimos collocare, cubicula optima occupare, primo eóq; commodissimo loco accumbere, alios sua solius causa solicitos esse, atq; adeo ab omnibus coli & honorari, quibus nihil unquam placet, nisi quod ipsi excogitarunt & fecerunt: cæteros naso suspendunt, sibique imaginantur,

in

in epulis, in exercitiis equeſtribus, in ludis, omnique animi relaxatione, ſui tantùm ab aliis rationem haberi debere. Quidam alii uſq; adeo ſunt cerebroſi, tetrici & acerbi, ut nihil quod ſatis ipſis placeat, fieri à quoquam poſſit: & qui ſemper, quicquid tandem illis dicatur, reſpondent vultu torvo: neq; objurgationum, conviciorumque, quibus miniſtros ſuos adoriuntur, unquã faciunt finem: atque ita continua quadam moleſtia, totam ſocietatem afficiunt, cùm hæc & his ſimilia ſubinde iterant: *Vah quàm tempeſtivè me hodie excitaſti? Vide quæſo quàm bellè mihi hunc calceum exterſiſti? Neque etiam hodie in templũ me es comitatus. Belua, neſcio quid in mora ſit, quo minùs hic pugnus in mala tibi hæreat.* Rationes hæ omnes inconvenientes ſunt, & odioſæ, & ſicuti mors ipſa fugiendæ. Etiamſi enim quis verè & ex animo modeſtus eſſet & humilis, moreſque iſtos, non tam malitia, quàm incuria pravaque aſſuefactione uſurparet, nihilominus tamen, quoniam in converſatione illa externa quædam ſuperbiæ præ ſe ferret indicia, odia aliorum nullo modo poſſet effugere. Siquidem

superbia nihil aliud est, quàm alios nihilo æstimare. Cùm tamen, ut initio dixi, unusquisque licet nullius sit, quantivis tamen pretii esse, censeri velit. Fuit Romæ ante annos non ita multos vir præstantissimus, acutissimoque ingenio, & doctrina planè singulari, Ubaldinus Bandenellus. Is dicere solebat, quotiescunq; ad palatium Pontificis accederet, aut ex eodem domum rediret, in maxima illa, plenisq; plateis sibi obvia, non solùm nobilium aulicorum, antistitum, & magnatum, verùmetiam hominum pauperum, mediocrium, & planè tenuium multitudine, neminem sibi occurrere, qui vel pluris vel minoris, quàm ipse esset, sibi in animo suo faciendus esse videretur. Et certè, si quis virtutis in homine illo excellentiam planè singularem perpendere voluisset, pauci profectò fuissent inventi, qui ullā in partem cum ipso dignitate potuissent comparari. Verùm enimvero in rebus ejusmodi, omnino se homines non tali ulna metiri debent: sed potius ad stateram molitoriam, quàm trutinā monetariam se ponderare. Conveniens enim est in aliis ad se admittendis & accipiendis, non tam quantū revera

UBALDINI Bandinelli Apothegma.

ra quis valeat perpendere, quàm quemadmodum in monetis, quarum valor in consuetudine & usu quotidiano est, quanti vulgò quis fiat considerare. Quare in præsentia & conspectu eorum hominum, quibus placere cupimus, nihil tale faciendum est, quod potius dominii quàm sodalitatis indicium præ se ferat. Actiones præterea & gestus nostri omnes tales esse debent, ut aliquā reverentiæ, præclaræq; de iis apud quos sumus, existimationis significationem testentur. Qua de causa fit, ut res nonnullæ, quæ suo tempore factæ, culpari non possent, rationem tamen loci & personarum præsentium magnopere reprehendantur: qualia sunt, quorū jā antea quoq; facta est mentio, aculeatis & acerbis expostulationibus domesticos objurgare, & quidem multo magis eosdem verberibus castigare. Hoc enim est imperium & jurisdictionem suam exercere, quod in præsentia eorum, quos honorificè aliquis observat, fieri nequaquam solet. Taceo jam, quod ille ipse totum cui interest, cœtum offendit, eorumque sermones & colloquia corrumpit: præsertim si tale quid faciat in mensa, loco nimirum non offensionis,

Iracun... et ex ... desemi...

ſed hilaritatis. Dico igitur, minimè decere, ut in menſa quis, quicquid tandẽ accidat, iraſcatur: vel ſi omnino arceri iracundia non poſſit, accuratè tamen eam diſſimulandam, ne quod moleſtiæ, qua afficeris, indicium appareat, idq; ob cauſas jam antea enumeratas. Et hoc maximè tum cavendum tibi eſt, cùm exteros fortè ad cœnam adduxeris. Siquidem à te lætitiæ cauſa ſunt invitati, & jam eos contriſtas. Sicuti enim acria, ab aliis manducata, tuis etiam dentibus, ſi videas, ſtuporem inducunt: ita alienarum moleſtiarum aſpectu, nos ipſi quoque perturbamur. Refractarii ſunt ii, qui in re omnia aliorũ deſideriis, id quod vox ipſa indicat, volunt contraria. Refractarius enim cum repercutiẽte & reluctante planè eſt idẽ.

Refractarii.

Quàm autem utilis ſit hujuſmodi contumacia ad animos hominum conciliandos, eorumque benevolentiam comparandam tu ipſe facilè judicaveris: quandoquidẽ illa in opponendo ſe alterius oblectamentis cõſiſtit. Id quod non amici inter ſe, ſed inimici facere conſueverũt. Proinde qui amoris aliorũ ſtudioſi ſunt, magna quadam contentione ſcipſos ad vitandum hoc vitiũ

adigunt,

adigunt. Id enim neque voluptatem aut benevolentiam, sed odium potius & fastidium parit. Imo convenit ex alterius desiderio, nisi damnum aliquod aut pudor obstet, suam oblectationem comparare, & id quidē semper facere, & sermonem quoq; suum ad aliorum potius quàm proprium affectum accōmodare. Neq; decet, ut aut rustici erga alios simus, aut planè peregrini: sed potius jucundi & quasi domestici: nihil enim aliàs inter oleam & oleastrum, reliquasque ejus generis plantas discriminis esset, nisi quædam sativę & dōesticę, quædam silvestres censerentur. Suavem autem & jucundū eum esse scito, mores erga alios cujus in quotidiano cōvictu tales sunt, qualibus inter se, qui amici sunt, moribus uti cōsueverūt. Hic enim peregrinus qui est, is ubiq; locorū advena seu extrarius esse videtur. Sicuti ex adverso indigenæ, ubicunque sint uniuscujusque noti & amici esse existimantur. Quapropter conveniens est, quemque se assuefacere ut alios suavi quodammodo salutare, cum eis colloqui, ipsis respondere, & se unicuique tanquam popularem & familiariter notum possit ostendere. In

Mores sua-

quo

quo faciendo quàm plurimi hallucinantur, qui nullum unquam placidè intuentur: qui libenter omnia, quæ ab aliis asseverantur, negant: & quicquid ab aliis, vel benevolentiæ gratia ipsis præstetur, id rusticè adversantur, more hominum extraneorum & barbarorum, qui ferre non possunt, ut ab aliis vel salutentur, vel deducantur: qui nunquam salibus aut sermonibus amicis se exhilarant: & omnia etiam officiosè ab aliis prolata respuunt. *Fabius mihi mandavit, ut suis tibi verbis salutem dicerem. Quid, malum, mihi cum illius salutatione?* Item, *Publius nuper me interrogavit, quomodo valeres: Veniat ergo & manu in carpum immissa, pulsum arteriæ mihi exploret.* Hujusmodi homines, & quidē merito suo, parum ab aliis diliguntur. Inconcinnum quoque est, esse melancholicum & cogitabundum, eoq; ex loco, ubi quis est, quasi abreptū, & extra seipsū cōstitutum. Et quamvis hoc ferri fortè possit in iis, qui multos jam annos in consideratione & contemplatione artium liberalium toti fuerūt: in reliquis tamen sine omni dubio probari hoc non debet. Immo illi ipsi prudenter facerent, si eo tēpore, quo meditationibus suis indulgere cogitant, ab aliorū cōsuetudine penitus abstinerēt. Tenero quoq; & delicato animo esse plurimū dedecet, maximè virū, cum

Melancholia.

Teneritas.

ejusmodi

ejusmodi enim hominibus tali modo conversari, non societas quędam ęquabilis, sed servitus videtur esse. Invenias profecto nonnullos, qui ita tenelli & fragiles sunt, ut vivere & cóversari cum illis, nihil aliud sit, quā vitris etiā subtilissimis esse circumdatum usque adeo levissimos quosq; ictus pertimescunt, ut, vitrorū instar, molli semper brachio illos tractare & observare oporteat. Si enim nō satis promptè sollicitéq; illos salutes, invisas, reverearis, & ad interrogata illorum respondeas, ita, aut etiam multo magis se excruciant, quàm alius faceret, injuria longè gravissima affectus. Idem usq; adeo titulis delectantur suis, ut, nisi ad unguem quis eos, ita uti volunt, compellet, acerbissimè ea de re conquerātur, & è vestigio inimicitias animo concipiant immortales. *Vocasti me amicū, non dominum. Quare non dicis mihi vestra excellentia? ego profecto, ut scias, Dominus Joannes vocor Neque etiam eo quo decuit loco in mensa accubui. Heri quoque, non dignatus es domi me invisere sicuti ego te salutavi nudiustertius.* Nequaquā hoc pacto mecum, & cum mei similibus oportet conversari. Hi certè eousq; alios adigunt, ut ne unus quidem sit, qui suo illos aspectu dignos existimet. Nimis enim immo planè supra modum seipsos amant, & in eo occupati dum sunt, parum admodum ad ad alios amandum temporis ipsis relinquitur.

tur. Expetunt autem, quod in principio quoque dictum est, homines in moribus eorum, quibuscum familiariter est vivendum, omnem eam, quæ esse tali in conversatione potest, suavitatem & voluptatem. Cũ hominibus autem usque adeo fastidiosis, & quorum amicitia ita facile, instar lini tenuissimi, rumpitur, commorari, non est familiariter cum illis vivere, sed eorum esse mancipiũ. Ideoq; non solùm nemo est, qui hac illorum consuetudine delectetur, verùm etiam majorem in modum omnes eam aversantur. Hæc igitur morum teneritas, & mollicies mulierculis relinquatur. In sermone quoq; familiari multis & variis peccatur modis, inprimis autẽ in ipsa sermonis materia, quæ nec frivola esse debet, nec vilis, auditores enim talibus non attendunt, & propterea quoq; nihil inde voluptatis percipiunt, imo recitatorem ipsum, cum suis fabellis habent cõtemptui. Neq; tamẽ nimis aut subtile aut exquisitũ colloquiorum argumentum est deligendum. Pleriq; enim cum molestia talibus auscultant. Diligenter quoque est cavendum, ut colloquii materies talis sit, quæ nemini ex præsentibus,

aut

aut ruborem incutiat, aut in alicujus vergat ignominiam. De rebus quoque spurcis & obscœnis non est loquendū, quantumvis id jucundum & delectabile esse videatur. Honestos enim homines non nisi rebus honestis placere aliis decet. Nihil etiam ullo modo contra Deum & sanctos, sive serio, sive joco id fiat, est dicendum, quantumvis parvi momenti, & cum oblectatione conjunctum aliis hoc esse existimetur: qua ipsa in re sæpe numero peccavit nobile illud Joānis Boccatii sodalitium in suis fabulis, ita ut illæ in acres quoq; omnium intelligentium reprehensiōes, & quidem suo merito, inciderint. Scito igitur quod per ludibriū de Deo loqui, non solùm sit defectus nebulonis scelerati & impii, verùm etiam vitium hominis pessimè instituti & morati, immo tale quid audire acerbissimum est; multosq; invenias, qui iis ex locis, ubi de Deo, contra quàm decet sermo est, cupidè discedant. Neque solùm de Deo loquendum est sanctè: sed in omni quoque colloquio, quantum fieri potest, cavendum est, ne verba vitæ factorumque parum laudabilium sint testimonia. Siquidem homines etiam

propria

propria sua vitia in aliis oderunt. Eodem planè modo inconveniens est, loqui de rebus, præsenti tempori, & personis audientibus, contrariis: etiamsi eę tales sint, ut per se & suo loco dictę, & bonę & sanctę essent futuræ. Cessent igitur conciones de rebus sacris in consessu juvenum, qui hilaritatis & jocationis gratia convenerunt. Diebus quoque publicę lętitię destinatis, & in conviviis, non recitentur historiæ melancholicæ: ibidemque vulnerum, morborum, mortis, suppliciorum, pestilentiæ, aliarumque rerum funestarum & tristium nulla sit mentio, nulla recordatio, aut si forte quis in hujusmodi rerum commemorationem inciderit: is modo quodam dulci & commodo ab eo proposito abducendus, & sensim in mentionem rerum magis lętarum & ei loco convenientium est traducendus. Etiamsi fortè multo sæpius lacrymis mortales, quàm risu indigeant. Quam ipsam ob causam fabulas illas luctuosas, quas Tragœdias appellant, initio inventas esse volunt, ut more illis temporibus usitato, in theatris repræsentatæ lachrymas iis, quibus id opus esset, elicerent, atque ita illi ex infirmitate sua subinde

deplorata

deplorata convalescerent. Sed ut hoc sit, non decet, eorum, quibuscum confabulamur, animos contristare, eo maximè in loco, ubi non luctus, sed lætitiæ voluptatisque gratia commorantur. Etiamsi fortè aliquis cupiditate lacrymándi ægrotus ibidem reperiatur, cujus equidem desiderio facilè quis medicaretur, vel sinapis acrimonia, vel etiam in locum fumosum eundē collocando. Quamobrem nullo modo excusari potuit Philostratus ille apud Bocatium, de orationis suæ argumento rerum funestarum, & mentione mortis plenissimo, cùm ea in societate loqueretur, quę tantum cupida lætitiæ, nihil præter eandem desiderabat. Rerum igitur tristium & melancholicarum narrationem eo modo instituere, ita inconveniens est, ut multo sit satius planè tacere. Errant quoque illi modo non dissimili, quibus nihil unquam aliud in ore est, quam sui infantes, uxor, nutrix. Vah quantum heri vesperi risum meus mihi filiolus excitavit! Audite quæso, nunquam vidistis puerum tam amabilem, quam meus est Scirtus, Item talis & talis est mea uxor: hæc & hæc mecum hodie est locuta. Incredibile

est,

est, quàm illa sit mulier sapiens & intelligens. Nemo usque adeo est otiosus, qui ad talia respondere, aut hujusmodi ineptiis possit vacare, nemo quoque est, qui hæc audiendo molestia non afficiatur. Male quoq; faciunt ij, qui subinde sua aliis somnia cupidè cõmemorãt, tanto quidem cum affectu & admiratione, ut ferè sine animi deliquio illis auscultare non possis. Præsertim cùm recitatores illi tales plerumque sint, ut quis eorum etiam facta singularia, quæque à maximè vigilãtibus pręstita su[illegible] audiendo, oleum & operã perdidisse sit existimandus. Quapropter materia dicendi usque adeo vili, ut plerumque sunt somnia, aliis molesti esse non debemus. Pleraque enim quæ vulgò hominibus offeruntur somnia, inepta sunt & nugatoria. Et etiamsi sæpe numero relatum mihi sit, priscos illos viros sapientes, plurima in suis libris somnia singulari cum prudentia & suavitate perscripta, nobis reliquisse: non tamen propterea minus eruditos; aut etiam homines plebeios decet tale quid in suis quoque sermonibus usurpare. Et certè inter omnia quæ in vita audivi somnia (quamvis paucissimis aures me-

as præbere soleam) nullum mihi unquam dignius visum est, quod vel audiretur, vel cujus nomine verba fierent: quàm unum hoc, quod bono illi M. Flaminio Tomarotio nobili Romano per quietem est oblatum, qui ipse tamen nequaquam illiteratus aut stupidus fuit, sed homo doctrinæ singularis, & acuti ingenij. Is igitur dormiens videbatur sibi sedere in officina opulentissimi cujusdam pharmacopolæ vicini sui: ibi cùm paulò post nescio qua de causa in populo excitatus esset tumultus, fiebat ut omnia direptioni in pharmacopolio illo exponerentur, cùm hic ecligmata, ille hypotrimmata, alius hoc, alius illud acciperet & subitò quàm avidissimè deglutiret: ita quidem ut brevissimo tempore interjecto, ibidem neque ampulla, neque urceus, neque pyxis, neque vasculum relinqueretur ullum, quod non esset vacuum & exsiccatum. Unum solummodo vitrum, & id quidem satis exiguum ibi erat; ad summum usque repletum limpidissimo quodam liquore, quem plerique omnes negligebant, gustare volebat nemo. His ita factis, continuò videbat eodem ingredi senem statura corporis angusta, quique

Somnium Tomarotii.

ipso

ipso aspectu cuivis admirationem, venerationemque sui injiceret. Is cùm subtristis thecas & capsulas pharmacopœi intuens, animadverteret alias evacuatas, alias eversas, earumque bonam partem fractam esse, fortè etiam vitium cujus antea facta est mentio, conspicatus, subitò id ori admotum, ita avidè exhausit ut in eo ne guttula quidem relinqueretur. Quo facto, eodem quo reliqui modo discedebat. Eo igitur nomine, cùm vehementi quadam admiratione affici videretur Flaminius, conversus ad pharmacopolam rogat, quinam is senex esset, & qua de causa aquam illam, ab omnibus aliis repudiatam, tanta cum voluptate ebibisset: cui respondere videbatur pharmacopola his verbis: ô fili, senex iile, quem vidisti, ipse Deus est, aqua autem ab omnibus aiiis, ut vidisti, spreta, & ab hoc uno exhausta, fuit discretio, quam homines, sicuti fortè reipsa expertus es, nullo modo, ne supremis quidem labris volunt contingere. Hujus ergo generis somnia credo non incommodè recitari, & cum voluptate & fructu audiri posse. Magis enim cogitationi animi vigilantis, quam visionibus dormientis,

dormientis, virtutisque, ut ita dicam, sensitivæ sunt similia. Reliqua vero inepta quæ sunt, & nullius sententiæ somnia, qualia pleraque, quæ a nobis nostrique similibus videntur, esse consueverunt, (viri enim boni & eruditi etiam cùm dormiunt, meliores sapientioresq; sunt improbis & indoctis) oblivioni tradenda, & una cum somno missa sunt facienda.

Et etiamsi res nulla reperiri posse videatur, quæ somniis vanior sit: tamen revera una quæpiam plus etiam levitatis habens, reliqua est; nimirum mendacium. Nam ejus, quod quis in somno vidit, quædam veluti umbra, & sensus antea fuit: mendacii verò neque umbra, neque imago unquam extitit ulla. Quocirca aures & animi eorum qui auscultant, multo minus mendacio quam somniis recensendis sunt onerandi. Quamvis enim mendacia pro veris nonnunquam accipiantur, tamen temporis successu, eorum autoribus non solùm fides non habetur, verum audire quoque illos æquo animo nemo potest, utpote quorum verbis nihil substantiæ, immo nec plus nec minus insit, quàm si *Mendacium.*

ſi omnino non loquerentur, ſed halitum tantùm inanem efflarent. Scito etiam multos inveniri, qui mentiantur non malo animo, nec propriæ utilitatis gratia, neque etiam ut aliis vel damno ſint vel pudori: ſed tantùm quia per ſe illis placent mendacia. Sicuti reperias, qui non ſitis cauſa, ſed guloſa quadam potandi conſuetudine, ſubinde bibant. Alii vana gloria impulſi, de ſeipſis mentiuntur, & cum quadam jactantia magnificè ſe efferunt, deque rerum magnarum & mirabilium ſcientia, quaſi ſoli ſapiant, gloriantur. Quin etiam quis quamvis taceat, reipſa tamen & opere mendacii reus agi poteſt. Id quod videre eſt in nonnullis, qui cum mediocri aut etiam vili conditione & loco nati ſint: tamen tantum in ſua cum aliis converſatione ſolennitatis uſurpant, ita arroganter incedunt, ita præ aliis magnificè & quaſi pro concione, aut tribunali verba faciant, cum oſtentatione loquuntur: ut ſine moleſtia acerbiſſima ſpectari non poſſint. Invenias quoque non paucos, qui etiam ſi divitiis & poſſeſſionibus aliis potiores non ſint: tamen torquibus aureis collum circumquaque ita onerant: ita digitos annu-

li

lis, pileos & vestes bullis & gemmis omni ex parte exornant: ut ne magnati quidem generosissimo ejusmodi splendor convenire videatur. Hæc ipsa consuetudo, fastûs & inanis gloriæ, quæ ex superbia vanitatis filia oritur plena est: ideoque tanquam intolerabilis & indecens accuratè est fugienda. Sciendum quoque est, quòd in multis, & iis maximè, quæ benè constitutæ sunt, Rebuspub. legibus cautum sit, ne liceat opulentis nimio vestium splendore pauperioribus se præponere. Injuria enim se affici pauperes existimant, si alii, licet specie tantùm majores, quàm ipsi sunt, haberi velle videantur. Sedulò igitur cavendum est unicuique, ne in hujusmodi ineptias temere prolabatur. Nemo etiam de sua vel nobilitate, vel honoribus, vel divitiis, multo minùs de sapientia gloriari debet, aut industriam, & res gestas vel proprias, vel etiam majorum suorum magnificè extollere, aut ad alterum quodque verbum progeniem suam, quod multi tamen facere solent, commemorare. Videtur enim is qui hoc facit, eo ipso indicare, quòd se hominibus præsentibus cupiat opponere, præsertim si illi non minus nobiles,

biles, honesti & strenui, quàm ipse
sint, aut saltem sibi esse videantur.
si illi loco sint inferiores, quòd eos q
si vi subigere, iisque suam utilitatem
miserias studeat exprobrare: id qu
sine ullo discrimine unicuiq; displic
Neque igitur quisquam se extenu
neque supra modum debet extolle
sed potius aliquid suæ dignitati & m
ritis subtrahere, quàm, etiam in re mi
nima, plusculum sibi verbis arrogar
Nam bonum quoque si nimium sit, d
splicere consuevit. Animadvertendu
tamen est, eos, qui sine modo verb
Extenuatio sui ipsius. seipsos extenuant, & honores, sine co
troversia sibi debitos, repudiant, eo i
so majoris superbię indiciũ de se pr
bere, quàm alteros illos qui etiam mi
sibi debita hac in parte usurpant. Pro
de dicere forte aliquis posset, Iottum i
lum, artis pictoriæ in urbe Florenti
instauratorem, tantis, quibus cohon
statur, commendationibus vix di
num esse, quòd magistrum se a
pellari vetuerit: cùm non solùm m
gister, verùm etiam sine dubio
pro ratione temporum illorum, m
gister fuerit planè singularis. Veru
sive vituperationem, sive laudem

mod

modo meritus sit Jottus: tamen interim hoc certissimum est, quòd is, qui ea, quæ omnes alii expetunt, aversatur, eo ipso significet, se alios aut vituperare, aut certè non floccifacere. Gloriam autem & honorem, quæ tanto apud alios in pretio sunt, nihili facere, nihil aliud est, quam seipsum suprà omnes alios honore & gloriatione extollere. Nemo enim qui sanus est, res omnium consensu caras & pretiosas contemnit: nisi ij solummodo, qui se optimarum, carissimarumque rerum divitiis & abundantia affluere arbitrantur. Quapropter neque cum jactatione de bonis nostris gloriari, neque etiam contemptim de iis loqui debemus. Illud enim est aliis suos defectus exprobrare: hoc verò eorum virtutes habere ludibrio. Debet autem unusquisque, quantum quidem fieri potest, de seipso tacere: aut si tempus ipsum, de nobis aliquid dicendi necessitatem imponat, delectabilis admodum, de qua supra quoque dictum, consuetudo est, submisse & sine superbia veritatem dicere. Quocirca ij, qui aliis placere student, pro viribus suis, quàm accuratissimè abstinere debent ab hoc vitio, quod

multis

multis in usu est, qui de rebus propositis ita timidè suam opinionem proferunt, ut sine gravi molestia audiri non possint: maximè, si illi aliàs homines sint eruditi & intelligentes. *Dominus vestra magnificentia ignoscet mihi, si non ita apposite ad causam præsentem potuero dicere. Ego loquor hac de re more hominis, sicuti revera sum, indoctus & omnium rerum ignari: item, pro ingenio meo hebeti, dicam pingui Minerva: neque sum nescius, quòd ludibrio vestræ excellentia sim futurus: verum tamen obedientia gratia libenter meam voluntatem illius imperiis accommodabo.* Et hæc ipsa dum loquuntur, eas præsenti negotio moras injiciunt, ut interea, quæstio etiam subtilissima, verbis multo paucioribus, & tempore quoque breviori potuerit definiri: nunquam enim cunctatores illi ad caput rei deveniunt. Odiosi quoque & molesti admodum homines sunt, suáque in conversatione cum aliis, gestu & moribus mentiuntur, qui infimi omnino & viles videri volunt: & cùm omnium confessione primus, aut certè honoratior illis locus debeatur: semper tamen infimum occupant, & labor planè incomparabil

comparabilis est, ulterius eos urgere. Subinde enim, instar equi pavidi aut retractarii, regrediuntur. Proinde honestæ alicui societati multum cum hujusmodi hominibus & molesti negotii est, si quando ad januam aliquam ventum sit: illi enim nullo planè modo volunt præcedere, quin etiam jam in transversum, jam retro abeunt, manibusque simul & brachiis sic pro se propugnant, sic se defendunt, ut ad tertium quemque gradum prælium cum iis inire, omnemque delectationem & nonnunquam etiam negotium quod tractandum est, interrumpere sit necessarium.

Et quoniam ceremoniæ, quas nominamus vocabulo, sicuti audis, peregrino, utpote qui proprium non habeamus (eo enim majores nostri indicant, ignotas sibi illas fuisse, cùm ne nomen quidem iis potuerint imponere) cùm inquam ceremoniæ, meo quidem judicio, propter vanitatem suam, non longè à mendaciis & somniis absint: non inconcinnè utraque in hoc nostro tractatu conjungere & componere poterimus, postquam hic de iis dicendi nobis offertur occasio. Narravit mihi aliquoties Ceremoniæ

aliquoties vir quidam bonus, solennitates illas, quas sacerdotes ad aram, in divinis officiis erga Deum & res sacras usurpant, propriè ceremonias appellari. Quocirca, postquam homines primo cœpere sibi mutuo modis quibusdam artificiosis, majorem quàm decebat reverentiam exhibere: se patronos & dominos inter se appellare: & in signum venerationis se inclinare, incurvare, demittere: item caput aperire: titulis quibusdam exquisitis alter alterum compellare: osculari manus, tanquam illas sacerdotum more sacris initiassent: fuit fortè aliquis, qui cùm nova hæc & stulta consuetudo nomen haberet nullum, eam per contemptum, ut credo, ceremoniam appellavit: sicuti compotationes & concœnationes alicubi per ludibrium triumphos dixere. Hæc autem consuetudo sine dubio à nobis originem non habet, sed extranea est & barbara, & ante paucos annos, nescio unde, in Italiam traducta: quæ misera jam reipsa, & factis prostrata & imminuta, in verbis tantùm inanibus, & superfluis titulis incrementum & honorem suum habet collocatum. Sunt igitur ceremoniæ si eorum, qui eas usurpant,

piat, mentem intueamur, vana quædam significatio honoris, & reverentiæ erga eos quibus contingunt, quæ sita est in simulatione & verbis, versaturque maximè circa titulos & formulas certas compellandi, assentatorie excogitatas. Dico autem, vanam hanc significationem esse, quia eos quoque, quos ex animo non reveremur, studio quodam oculis & auribus eorum gratificandi, hoc modo honoramus. Imo sunt nonnunquam, quos nec visos, nec auditos volumus, quos tamen, ne ab aliorum consuetudine recedere videamur, vocamus, hunc quidem illustrissimum, illum excellentissimum virum: eodemque affectu nos deditissimos aliorum servos profitemur, quibus tamen, si animum consulamus, mallemus omnibus potius modis incommodare, quàm inservire. Essent igitur ceremoniæ non solùm, ut dixi mendacia, verùm etiam à flagitiis & proditione nihil differrent. Sed quia verba jam dicta, & hujusmodi tituli, vigorem suum jampridem perdiderunt; & propter usum eorum, quem ipsi introduximus, continuum, instar ferri, cuius acies hebetata est, ut plurimum degenerârunt: non usque adeo

accuratè & ſubtiliter in eorum ſignifi-
cationem eſt intendendum, ſicuti vim
aliorum verborum conſiderare ſole-
mus: neque etiam tanta cum efficacia
& vigore ſunt accipienda. Quodq; hoc
verum ſit, ex eo manifeſtum eſt, quod
unicuique noſtrum uſu venit quotidie.
Nam ſi fortè in quempiam antea nobis
non viſum incidamus, cum quo caſu
ita ferente colloquendum nobis ſit,
non adhibita conſideratione, quali aut
quanto honore revera dignus ſit, ple-
runque ne nimis parum dixiſſe videa-
mur, pluſculum illi tribuimus, cumque
tantum, quia bene veſtitus eſt, nonnun-
quam nobilem aut Dominum vocamus,
etiamſi aut ſutor aut tonſor eſſe poſtea
deprehendatur. Et ſicuti olim certos
quoſdam & peculiares titulos, Papę aut
Imperatoris privilegio conceſſos, non-
nulli habere ſolebant, qui ipſi tituli, ſine
offenſione & injuria privilegiarii, ſi-
lentio præteriri non poterant, neque
etiam alteri, cui tale privilegium con-
ceſſum non erat, ſine ludibrio attri-
bui: ita hodie quoque paullo libe-
raliùs & tituli illi, & aliæ honoris
ſignificationes titulis non diſſimi-
les, ſunt uſurpandæ. Conſuetudo e-
nim

um, domina nimis potens, hac in parte valde liberalia nostræ ætatis hominibus privilegia concessit. Hæc igitur consuetudo, quæ extrinsecus ita bella & speciosa videtur, revera intrinsecus tota vana est, & in ostentatione & forma sine rebus, verbisque sine significatione ulla consistit. Neque tamen interim vel mihi, vel tibi licentia concessa est hujusmodi morem abrogandi. Quin etiam, quando hoc non tam nostrum, quàm temporis ipsius, in quo vivimus, peccatum est, ad ejus observationem, non tamen sine aliquo discrimine, obligamur. Quamobrem considerandum est, quæ ceremoniæ vel utilitatis, vel vanitatis, vel etiam officii causa usurpentur. Omne autem mendacium quod propriæ utilitatis causa dicitur, & fraudis & sceleris plenum, & proinde etiam inhonestum est, nunquam enim quisquam honestè est mentitus. Et in hoc delinquunt adulatores, qui amicorum speciē induunt, nostrisq; cupiditatibus, in quibuscūq; etiam rebus obsequuntur, non ut benevolentiá sibi nostrā concilient, sed potius ut beneficia à nobis consequantur: non ut nobis placeant, sed potius ut decipiant. Et quamvis

hoc vitium fortè aliquibus ufu jucundum fit: nihilominus tamen quia per fe deteſtandum & noxium eſt, homines elegantes nequaquàm decet. Neque enim licitum eſt ſpecie oblectationis alteri nocere: & ſi quemadmodum dictum à nobis eſt, ceremoniæ nihil aliud ſunt quàm mendacia & adulationes, ſit, ut quotieſcunque lucri gratia eas adhibemus, non bonorum ſed perfidorum, flagitioſorumque hominum officio fungamur. Quocirca talem ob cauſam nullæ ceremoniæ ſunt uſurpandæ. Reliquum

Officium. eſt ut de iis quoque dicamus, quæ vel ex debito fiunt, vel ex vanitate. Priores igitur illas, nimirum quæ ex debito ſiunt, nequaquam convenit, quo minus fiant, negligere. Id enim qui facit, non ſolùm diſplicet, verùm etiam injurius eſt aliis. Et ſæpenumero accidit, ut ad arma ventum ſit, hanc unam ob cauſam, quòd alter ab altero in via non eo quo debuerat modo, honore eſſet affectus. Maxima enim ut dixi, vis eſt conſuetudinis, eaque hujuſmodi in rebus planè pro lege vult haberi. Quamobrem, qui unum aliquem non infimæ conditionis hominem compellat numero multitudinis, is nihil de ſuo civilitatis

ætatis illi tribuit: imo si singulari ad eundem numero uteretur, aliquid illi debitum adimeret, eumque ignominia & injuria afficeret, tali eum vocabulo, quo homines nihili & rustici nominari solent appellando. Et etiamsi aliæ gentes & ætates hominum, his in rebus alias consuetudines habuerint, tamen hæ apud nos hoc tempore in usu sunt: neq; locus jam est disputandi, utra harum duarum consuetudinum sit melior. Sed conveniens est, ut non tam bonæ quàm in præsentia usitatæ consuetudini pareamus. Sicuti etiam legibus non optimis obedientiam præstamus, eam solummodo ob causam, quod vel Respublica, vel alius, cujus ea potestas est, eas nondum correxerit, aut mutârit. Quod si ita est, diligenter colligere oportet, quibus gestibus & verbis usitatum hodie sit, iis in locis, ubi commoramur, cujuscumque conditionis homines excipere, salutare, compellare, ut ea ipsi quoque in nostro cum iis convictu observemus. Et quamvis forte consuetudine suorum temporum summus ille classis regiæ præfectus, Petrum Regem Aragoniæ in colloquio numero singulari compellet: tamen nos nostris

nostris regibus suam vel Majestatem vel Serenitatem tam in sermone, quàm per literas tribuemus. Sicuti enim ille consuetudinem suorum temporum observavit, ita nos quoque nostræ ætatis moribus immorigeri esse non debemus. Et quidem has ego debitas ceremonias appello, neque enim à nostra voluntate aut libero arbitrio originem suam habent, sed à lege, hoc est communi consuetudine nobis imponuntur. In iis autem rebus, quæ nullo cum scelere, sed potius cum specie quadam urbanitatis sunt conjunctæ, oportet & decet communi consuetudini obedire, eique nec disputationem, nec litem movere. Et etiamsi in signum reverentiæ aliquid osculari, propriè rebus sacris conveniat: nihilominus tamen si in tua regione usitatum sit, ut in digressu dicant: *Ego in signum observantiæ qua te colo, manum osculor: aut, ego totus sum tuus: aut, ego omnia mea obsequia sine exceptione tibi defero, licet iis arbitratu utaris, atque etiam abutaris tuo*: si inquam, his & similibus formulis, uti moris sit, tu quoque non minùs quàm alij iis utêris. Imo in valedicendo, & scribendo, alios salutare, & à te dimittere debebis,

debebis, non ut ratio, sed ut consuetudo postulat, neque ut quondam fieri solitum est, aut etiam fieri oportuit: sed quomodo in præsentia fit. Nec est quod dicas, unde aut qua de causa hic est Dominus: aut, nunquid hic fortè parochus meus est, ut osculari ei debeam manus? Is enim qui assuetus est, ut ab aliis vocetur Dominus, & qui ipse alios vocat Dominos contemni se & ludibrio haberi sentit, si eum proprio tantùm nomine, aut aliàs minùs honorificè compelles. Et sicuti suprà dictum est, hæc ipsa dominij & servitij, aliaq; his similia vocabula, amaritiam suam magna ex parte jampridem amiserunt, & quia quotidie in omniũ ore versantur, instar herbarũ aquæ injectarum, ita macerata sunt & mollita, ut non tantopere aversari ea debeamus: quẽadmodum faciunt rustici quidã insulsi, qui epistolas Cæsarib. & regibus mittendas, hoc modo censent inchoandas: *Si tu & liberi tui valent, bene est, ego quidẽ valeo.* suæq; hujus opiniõis rationem afferũt, quòd olim Latini in suis ad Rempub. Rom. literis eodem exordio usi sint. Quibus si quis attendere, atq; eo modo regredi velit, is pedetentim

seculum

seculum illud priscum, quo homines frugibus destituti, glandibus vescebantur, esset introducturus. In his tamen ipsis, quas debitas nominamus, ceremoniis, certæ quædam regulæ sunt observandæ, ne quis homo vel vanus, vel superbus esse videatur. Et primò quidem regionis, in qua quis vivit, ratio est habenda: non enim omnis consuetudo cuilibet regioni bona & conveniens est. Fortasse id quod hac in parte Neapolitanis, quorum civitas viris insigni nobilitate, & dominis singulari auctoritate conspicuis abundat, in usu est, id ipsum Lucensibus & Florentinis, qui magna ex parte mercatores aut nobilitate minus illustres sunt, & apud quos nec Dux, nec Princeps, nec Dynastes est ullus, nequaquam conveniret. Ita quidem ut mores Neapolitanorum magnifici & pomposi Florentiam translati, instar vestium Gigantis pygmæo indutarum, superflui & nimii sint futuri. Sicuti etiam Florentinorum mores, cum nobilitatis Neapolitanæ moribus comparati, sua forte natura miseri & nimis exiles essent futuri. Et etiamsi magnates Veneti, ratione publicorum officiorum, penè supra modum mu-

tuis

tuis se honoribus prosequantur: non tamen idcirco civibus Rhodiginis aut Asulanis conveniet, ut iisdem in mutua observantia solennitatibus frustra utantur. Quamvis si rectè memini, tota illa vicinia, in hujusmodi nugas & ineptias nonnihil prolapsa sit, vel propter otium quo fruitur, vel quod ab urbe Veneta, domina sua, idipsum acceperit. Libenter enim unusquisque vestigiis domini sui, etiam causa non cognita, insistit. Præterea habenda est quoque ratio temporis, ætatis & conditionis, cùm illius apud quem utimur his ceremoniis, tum etiam conditionis nostræ. Et quidem apud homines, qui occupationibus destinentur, planè eas abrumpere, aut certè quantum fieri potest, imminuere, & significatione potius eas indicare, quàm reipsa exprimere oportebit. Id quod in aula Romana optimè præstare sciunt. Verùm in aliis quibusdam locis, hæ ipsæ ceremoniæ seriis negotiis magno impedimento sunt, præterquam quòd tædio quoque molestissimo non carent. *Tege caput*, dicet fortè Judex aliquis, cui propter negotiorum multitudinem parum aut nihil est vacui temporis. Alter vero postquam

certis quibusdam gestibus, & magno pedum strepitu, suam illi reverentiam declaravit, tandem ex aliquo satis longo, intervallo respondebit: *Mi domine, bene habet, mihi tecto capite non est opus.* Cui nihilominus dicet judex, *Tege quæso caput.* At ille bis aut ter, jam in hoc, jam in illud latus se contorquens, & magna cum gravitate in terram usque se dimittens demum dicet: *Peto à tua dominatione, ut quod officii ratione debeo, id facere mihi liceat.* Et quidem tam diu durat hæc concertatio, tantumque in eam temporis insumitur, ut judex breviori quoquo spacio omnibus negotiis eo se mane potuerit expedire. Quocirca etiamsi unusquisque inferioris ordinis, suo judici aut magistratui honorem debeat exhibere; tamen cùm tempus id non patitur, ille ipse honor immodicus, maximo cum odio est conjunctus, & propterea planè eum aut fugere, aut certè modum illi adhibere oportebit. Sed neque juvenibus eædem inter se, quæ natu majoribus ceremoniæ conveniunt: neque etiam plebeios, aut mediocris conditionis homines decet, easdem ceremonias, quibus magnates uti inter se solent,

usurpare

usurpare. Sicuti etiam magnæ virtutis & excellentiæ viri hujusmodi ceremonias, nec crebro adhibere solent, nec iis adhibitis delectari, aut easdem ab aliis præter modum exigere, utpote ita affecti, ut non facilè cogitationes suas rebus inanibus possint intendere. Opifices quoque & infimæ sortis homines operam dare non debent, ut erga superiores & dynastas multis & nimis solennibus ceremoniis utantur: eas enim illi ut plurimum aversantur. Potius enim obedientiam, quàm honorem ab hoc hominum genere requirere & expectare sibi videntur. Proinde is quoque servus errat, qui domino sua officia & studia defert. Dominus enim contemni se suumque dominium & potestatem quasi in dubium à servo vocari arbitratur, quasi vero aliquid ministro suo vel mandare, vel injungere non liceat. Hoc igitur ceremoniarum genus liberaliter usurpari debet. Quod enim quis ex debito alteri præstat, id solutionis loco ab eodem accipi solet, neque multa illi, qui id facit, gratia habetur: sed qui plusculum quàm tenebatur hac in parte facit, is amabilis & magnificus esse censetur. Videor mihi aliquando

audiviſſe de celebri quodam & eximio poeta, qui dicere ſit ſolitus, eum qui humaniter homines complecti, amanterq; cum iis converſari poſſet exigua ſorte magnum ſibi lucrum comparare. Circa ceremonias igitur eodem modo verſaberis, quo ſartor circa pannos, quos ita forfice ſua diſcindit & concinnat, ut veſtes laxiores potius quàm corpori nimis adſtrictas inde conficiat: neq; tamen ita, ut caligæ in ſaccos, aut pallia convertantur. Et ſi hac in parte, decora quadam liberalitate, maximè erga eos, qui conditione te inferiores ſunt, nonnunquam utaris, homo urbanus & elegans vocabere: ſi etiam ſimile quippiam apud ſuperiores uſurpes, ita, ut hominem ingenuum decet, moratus eſſe diceris. Sed ſi quis in hoc nimius & quaſi prodigus eſſet, illum omnes tanquam vanum & levem incuſarent, imo fortè aliquid gravius eidem poſſet contingere, nimirum ut ſimul pro nebulone, nugatore, aut etiam adulatore haberetur: quo quidem vitio nullum eſt deteſtabilius, nullum quod hominem liberalem & nobilem magis deformet. Et quidem hoc tertium genus eſt ceremoniarum, quæ omnino à noſtra voluntate,

Vanitas.

tate,

tate, & non à consuetudine proveniũt. Hîc igitur in mentem nobis revocemus, quod initio dictum est, nimirum ceremonias sua natura initio non fuisse necessarias, imo omnia melius sine iis fieri & expediri potuisse: id quod ante annos non ita multos apud nos in universum fiebat. Verùm aliorum morbi nos quoq; ut multis aliis, ita hac quoq; invaletudine infecerunt. Quapropter postquam hac in parte usitatæ jam consuetudini morem gessimus, omne id quod reliquum est, quidpiam superfluum & quoddam quasi jam licitum mẽdacium est: etiamsi olim nequaquam id fuerit permissum, sed vetitum, & proinde etiam animis nobilibus, qui hujusmodi ineptiis & nugis speciosis minimè delectantur, res hæc molesta admodum sit & tædiosa. Et scito quod ego in meo hoc tractatu contexendo, exiguæ meæ scientiæ diffidens, aliorum quoque præstantium & me eruditiorum judicia inquisiverim, è quibus deprehendo, regem quendam Oedipum, è regione sua ejectum, Athenas aliquando, ad regem Theseum vitę suæ, cui inimici insidiabantur, conservandę gratiâ venisse. Cùm autem in conspe-

OEdipus apud Theseum.

ctu

ctu Thesei jam versaretur, audivisse eum loqui (nam cœcus erat) filiolam suam, cujus vocem agnoscebat, atque ideo rationem non habuisse ut primo regem Theseum salutaret, sed amore paterno compulsum, ad filiolæ amplexum primò se convertisse. Eo autem errore postea animadverso, OEdipum se Theseo hoc nomine excusare, & veniam petere voluisse. Bonum verò illum & sapientem regem, illius sermonem interrupisse, atq; his eum verbis compellâsse: "Bono sis animo, mi OE-
" dipe: ego enim vitam meam non tam
" verbis aliorum, quàm propriis meis factis studeo illustrare: quæ quidem sententia etiamnum animo teneri debet. Et etiamsi valde placeat hominibus, si ab aliis honore afficiantur, tamen si animadvertant se singulari quodam & artificioso modo honorari, non solùm acerbè id ferunt, verùm etiam se insuper despectui illis esse cognoscunt. Illecebræ enim illæ, sive potiùs adulationes, præter alia sua scelera & vitiositates, etiam hunc defectum habent, quòd palpatores illi aperto quodam indicio declarent, quòd is cui ipsi suis illis blanditiis insidiantur, usq; adeo

vanus

vanus & arrogans ſit, & præterea uſq; adeo ſtupidus, hebes & ſimplex, ut ipſum inescare & capere non ſit difficile. Ceremoniæ quoque vanæ, exquiſitæ & ſuperfiuæ adulationem ſuam ocultare non poſſunt, ſunt enim illæ ita manifeſtæ, & ab unoquoq; cognitæ ut ii, qui lucri ſui gratia illas adhibent, præter ea, quæ ſupra de eorum flagitiis dicta ſunt, inſuper etiam aliis moleſti ſint & exoſi. Verùm enimvero eſt quoddam aliud genus hominum, ceremoniis hujuſmodi deditorum, qui ex iis peculiarem quandam artem & mercaturam faciunt: ſuamq; illam ſapientiam quaſi libris & rationibus certis habent comprehenſam. Cuidam enim hominum generi familiariter annuent: alteri arridebunt: eum qui nobilior eſt, in ſellam collocabunt, minus nobilem in ſcabellum: quas ipſas ceremonias ex Hiſpania in Italiam tranſlatas eſſe exiſtimo. Sed à noſtra terra malè acceptæ, parcè admodum provenerunt. Siquidem accurata hæc nobilitatis diſtinctio apud nos moleſta eſt: quapropter nemo ſe judicem conſtituere debet, qui decidat, uter altero ſit nobilior. Neque etiam more meretricio venales eſſe

debent

debent ceremoniæ, aliæque amoris & benevolentiæ significationes, quod ego multos magnates in aulis suis facere conspexi, qui de industria, & quidem stipendiorum loco, certis quibusdam ceremoniis ministros, & familiares suos infelices demulcebant. Et profecto illi, qui supra quam decet, ceremoniarum usu delectantur, idipsum ex quadam levitate & vanitate faciunt, tanquam homines nullius pretii. Et quoniam hujusmodi ineptias, quæ tamen aliquo modo in oculos incurrunt, & bellæ videntur, non usque adeo difficile est addiscere; illi ipsi magno quodam studio eis incumbunt. Res autem graviores, utpote tanto oneri impares, discere nequaquam possunt: atq; ideo optarent hominum inter se conversationē universam in his nugis consumi: tanquam ii, qui nihil possunt amplius quiq; sub cortice aliquantulum specioso nihil habent succi, & si attingas, statim rugosi quodammodo & mucidi deprehenduntur: eamque ob causam, illis peroptabile esset, hominum inter se commercia & actiones, ultra speciosa hæc principia se non extendere, atque horum quidem maximum invenies numerum. Alii

verò

verò in verbis & gestibus artificiosis ideo tam multi sunt, ut eo modo pravæ, agrestis, angustæq; suæ naturæ defectus suppleant: cum recordentur, si ut reipsa sunt, ita verbis quoque sint restricti & feri, se aliis hominibus fore omnino intolerabiles. Hoc quidem tibi verè affirmo, tuq; idipsum ita se habere experieris, quòd non ob aliud, sed fermè ob alterutram harum causarum superfluæ istæ ceremoniæ tam immodicè usurpentur: quæ tamen ipsæ ut plurimùm plerisque hominibus sunt molestæ, impediunt enim, quo minùs suo quis modo & arbitrio vivere, id est libertate, quam quilibet præ omnibus aliis rebus appetit, frui possit.

De aliis, aliorumq; rebus & negotiis non est malè loquendum, etiamsi tum nobis aures, & libentissimæ præberi videantur, idque propter invidiam, quam ut plurimùm alter in alterius bona & honores concipere consuevit. Tandem tamen unusquisque à bove fœnum in cornu habente sibi cavet. Aversantur enim homines amicitiam maledicorum, existimantes eos, id quod de aliis apud nos loquuntur, id ipsum de nobis dicere apud alios. *Moderatio linguæ.*

Quidam

Quidam, etiam, qui ſingulis aliorum verbis ſe opponunt, deq; iis diſputant & altercantur, eo ipſo indicant, ſe naturam hominum non ſatis cognitam habere. Amat enim quilibet victoriam, & ſe tam in ſermone, quàm in negotiis vinci ægerrimè patitur, pręterquã quòd libenter aliis reclamare, non amicitiæ, ſed inimicitiæ opus eſt. Quocirca is qui in ſua cum aliis converſatione amabilis & jucundus eſſe expetit, non ita promptas in ore habebit has voces: *Non eſt verum: Nihilominus ita ſe res habet ut dico*, & alias his non diſſimiles: neq; etiam facilè pignore depoſito certabit: imo potius plurimum in hoc ſtudii conferet, ut aliorum opinioni, præſertim in rebus non magni momenti, facilè accedat. Damnoſa enim eſt, in hoc genere victoria: ſiquidem victor illæ queſtionis alicujus trivolæ, ſæpè numero interim jacturam facit conjunctiſſimi amici, ſimulq; aliis ita efficitur exoſus, ut conſuetudine ejus uti non audeant, ne ſingulis horis confligere cum eo cogantur. Interim agnominibus non ſatis honorificis paſſim eum inſectantur, cùm alius eum cerebroſum, alius pertinacem, alius omniſcium, alius

Doctorem

Doctorem ſubtilem nominat. Quòd ſi tamen quis nonnunquam à præſenti ſodalitio ad diſputandum invitetur, is idipſum faciet ſuavi quodam modo: neq; ita dulcedinis victoriæ avidus erit, ut eam cum quadam ingluvie, lurconis inſtar, cupiat deglutire, ſed unumquemque in ſua opinione relinquere conveniet & utri juſtam vel injuſtam ſententiam defenderint, id vel ex ſuffragiis partis majoris, vel etiam magis importunæ definiri, eidemque victoria ultro concedi debebit. Ut videlicet non tu, ſed alius is ſit, qui prælietur, ſe defatiget, & ſudore præter modum totus diffluat: qui quidem mores hominibus honeſtè educatis minimè conveniũt, adeo quidem, ut odium & malevolentiam aliorum ſibi concitent. Quid quòd iidem, propter deformitatis ſuæ dedecus, quod per ſe animis bene compoſitis grave & moleſtum eſt, plurimùm ſoleant diſplicere? qua de re paulò poſt fortè mentionem faciemus. Interim tamen bona pars hominum ita mirificè in hac victoria ſibi placet, ut quomodo aliis placeant, vel diſpliceant, planè non cogitent, Et ut ſe ſubtiles, intelligentes, & ſapientes eſſe demonſtrent: jam

ſuum

suum aliis dant consilium, jam eosdem reprehendunt, jam cum iisdem disputant, eorumq; sententiam ita magno conatu oppugnant, ut à verbis ferè ad verbera deveniatur, cùm nulla unquam nisi propria sententia illis probetur. Suum verò aliis consilium non requisitum communicare, nihil aliud est, quàm dicere, se longè sapientiorem esse eo, cui consulitur, eidemque suam imprudentiam & ignorantiam exprobare. Quamobrem id non apud quoslibet nobis notos, sed tantùm apud necessarios, & interiori quadam familiaritate conjunctos fieri debet. Item apud eos quibus præsumus, quorumq; inspectio & cura nobis est commissa, vel certè etiam apud extrarium, si fortè magnum illi periculum impendeat. Sed in quotidiana cum aliis conversatione cavendum est, ne nostra aliis consilia immodicè obtrudamus: aut nos de ipsorum necessitatibus curiosè sollicitos esse ostendamus. In quem quidem errorem incidunt multi, & ut plurimùm minùs intelligentes. Rudes enim & insulsi qui sunt, raro admodum in rebus quas agunt mentem ab oculis & aliis sensibus revocant, aut justum suis cogitationibus

temp

tempus impendunt: ut pote ejus generis homines, quibus non multa accuratius disquirenda, aut examinanda incumbant. Verùm quomodocunque se ista habeant, certè, qui passim consilia sua depromit, eaque quasi disseminat, is eo ipso non obscurè hanc opinionem præ se fert, prudentia alios destitui, se verò abundare. Et certè reperias nonnullos, qui in hac illa sapientia ita mirificè sibi placent, ut ipsorum cohortationibus nolle obtemperare, nihil aliud sit, quàm prælium cum iis inire velle. Dicunt enim, *Bene est: tenuiorum consilia apud opulentos locum non habent.* Item, *ille est homo sui consilii.* Item, *ille mihi dicto audiens esse recusat.* Quasi verò non majoris arrogantiæ sit, velle ut alii tuis consiliis utantur quàm si alius certis de causis suum consilium tuo anteponat. Peccatum etiam huic non dissimile committunt ii, qui aliorum defectus corrigere, aut etiam reprehendere conantur: quiq; controversias omnes sua sententia finire volunt, & unicuique leges præscribere. *Hoc fieri non oportet:* item, *tu tali jam verbo usus es, deinceps, si sapis, ab hujusmodi dictis & factis abstine.* Item, *vinum quod bibis,*

bibis, tibi non est salubre, potius rubr vino utereris. Item, *hoc ecligmate & il lis trochiscis tibi in hoc morbo est uten dum*. Atq; ita reprehensioni & correcti oni suæ nullum statuunt modum. Præ tereamus jam eos, qui aliquando alien ex agris lolium evellere vehementer c laborant, cùm agros interim propric sentibus & urticis totos occupari faci lè sinant: quos quidem audire, cum magno fastidio & molestia est conjun ctum. Et sicuti pauci aut nulli reperi untur, qui ab animo suo impetrare ho possint, ut individua quadam vitæ con suetudine, vel cum medico, vel cum sa cerdote, multo minus cum Judice rerum capitalium conjungi velint, ita etiam nemo est, qui cum istis familiariter au deat conversari. Amat enim quilibet li bertatem, qua illi, perpetuum quasi ma gisterium exercentes, alios spoliant. Quamobrem consuetudo parùm grat est, ita promptum & cupidum esse alic corrigendi & quasi pro imperio aliqui illis præscribendi: eaque rectius lud magistris & parentibus relinquitur, apu quos tamen quàm inviti hac ipsa c causa & filii, & discipuli commorentur ignotum tibi esse non potest.

Ride

Rideri etiam, aut ludibrio haberi omnino nemo debet, etiamsi tibi sit inimicissimus. Majoris enim contemptus indicium videtur esse illud, quod fit deridendo, quàm quod fit inferendo injuriam. Fiunt enim injuriæ vel ex ira, vel ex alia quapiam cupiditate. Et nemo est, qui vel iram animo concipiat contra eum, aut propter id, quod ipse nihili facit; aut qui illud quod in universum aspernatur, appetat. Atque ita quem injuria afficiunt, eum pretii non planè nullius censent: ludibrio autem habitum, aut flocci, aut ne flocci quidem faciunt. Cùm enim aliquem ludibrio, rubotis & ignominiæ illius causa, afficimus, non tam nostrum aliquod commodum & utilitatem, quàm voluptatem & oblectamentum spectamus. Quam ipsam ob causam in vita communi ab omni ludibrio ignominioso plane est abstinendum: id quod parum accuratè faciunt ii, qui aliis sua, quibus laborant, vitia exprobrant, aut verbis, aut gestu, & re ipsa: quemadmodum multi faciunt, qui aut blæsos, aut loripedes, aut gibbosos, vel lingua, vel ridicula sui corporis conformatione imitantur: item, qui alterum quòd vel deformis, vel distortus,

vel

bibis, tibi non est salubre, potius rubro vino uterer is, Item, *hoc ecligmate & illis trochiscis tibi in hoc morbo est utendum*. Atq; ita reprehensioni & correctioni suæ nullum statuunt modum. Prætereamus jam eos, qui aliquando alienis ex agris lolium evellere vehementer elaborant, cùm agros interim proprios sentibus & urticis totos occupari facilè sinant: quos quidem audire, cum magno fastidio & molestia est conjunctum. Et sicuti pauci aut nulli reperiuntur, qui ab animo suo impetrare hoc possint, ut individua quadam vitæ consuetudine, vel cum medico, vel cum sacerdote, multo minus cum Judice rerum capitalium conjungi velint, ita etiam nemo est, qui cum istis familiariter audeat conversari. Amat enim quilibet libertatem, qua illi, perpetuum quasi magisterium exercentes, alios spoliant. Quamobrem consuetudo parùm grata est, ita promptum & cupidum esse alios corrigendi & quasi pro imperio aliquid illis præscribendi: eaque rectius ludi magistris & parentibus relinquitur, apud quos tamen quàm inviti hac ipsa de causa & filii, & discipuli commorentur, ignotum tibi esse non potest.

Ride-

Rideri etiam, aut ludibrio haberi omnino nemo debet, etiamsi tibi sit inimicissimus. Majoris enim contemptus indicium videtur esse illud, quod fit deridendo, quàm quod fit inferendo injuriam. Fiunt enim injuriæ vel ex ira, vel ex alia quapiam cupiditate. Et nemo est, qui vel iram animo concipiat contra eum, aut propter id, quod ipse nihili facit; aut qui illud quod in universum aspernatur, appetat. Atque ita quem injuria afficiunt, eum pretii non planè nullius censent: ludibrio autem habitum, aut flocci, aut ne flocci quidem faciunt. Cùm enim aliquem ludibrio, ruboris & ignominiæ illius causa, afficimus, non tam nostrum aliquod commodum & utilitatem, quàm voluptatem & oblectamentum spectamus. Quam ipsam ob causam in vita communi ab omni ludibrio ignominioso plane est abstinendum: id quod parum accuratè faciunt ii, qui aliis sua, quibus laborant, vitia exprobrant, aut verbis, aut gestu, & re ipsa: quemadmodum multi faciunt, qui aut blæsos, aut loripedes, aut gibbosos, vel lingua, vel ridicula sui corporis conformatione imitantur: item, qui alterum quòd vel deformis, vel distortus,

vel

vel inconſpicuus, & puſillus eſt, deri- dent, vel de alterius parum appoſitè dictis, cum riſu & exultatione ſibi gratulantur: aut libenter alios rubore ſuffundunt: quæ quidem conſuetudines admodū moleſtæ cùm ſint, merito ſuo ſunt exoſæ. Illis autem non valde diſſimiles ſunt irriſores iſti, quibus volupe eſt, quoſlibet alios exagitare & deridere, non tam ignominiæ & contemptus, quā proprię voluptatis gratia. Et ſcito, quod nulla differentia foret, inter ludibrium & ludum, niſi propoſitum & ſcopus utriuſque eſſet diverſus. Qui enim ludit alterum is id ipſum recreationis gratia facit: qui verò eum ludibrio habet, facit id ex deſpicientia: quamvis hæc duo vocabula in ſermonibus & ſcriptionibus quotidianis ferè confundantur. Sed tamen qui alterum ludibrio habet, ex ejus ignominia ſibi ipſi voluptatem quærit: qui vero eundem ludit, ex ejus errore non tam voluptatem percipit, quàm recreationem. Hic enim ipſe, etiam ex ejuſdem hominis ludibrio ignominioſo magnum fortè cruciatum & dolorem ſuſtineret. Ego cùm in pueritia mea aliquouſque in præceptis Grammaticis progreſſus eſſem, re-

cordor me didicisse, quòd Mitio, licet incredibili quodam & sibi ipsi mirando amore Æschinum complecteretur, tamen nihilominus eum nonnunquam ludendo seipsum oblectârit, ut cum hoc modo secum ille loquitur.

Cur non ludo hunc aliquantisper?

Ex quo apparet, rem unam eandemque, & apud unum eundemque hominem factam, secundum mentem & propositum facientis, jam ludum, jam ludibrium censeri posse. Quia autem voluntas nostra aliis aperta esse non potest, res parum utilis est, in quotidiano cum aliis commercio artem tam dubiam & suspectam exercere. Imo multo magis aversandum, quàm expetendum est nomen irrisoris. Sæpe enim numero hìc quoque, quod in ludo, jocóque fieri solet, contingit, ut alter jocosè alterum percutiat: quas tamen plagas ille accipit loco contumeliæ, atque ita à jocis ad pugnas deveniatur. Eodem modo is, quem alter recreationis & familiaritatis causa lusit, nonnunquam id pro ignominia & probro habet, & indignatur. Mitto jam quòd ludus iste quædam est deceptio. Unicuique autem à natura hoc insitum est,

ut doleat, ſicubi erraverit, aut deceptus ſit. Quocirca multis de cauſis videri alicui poſſit, eum qui benevolentiam & amorem aliorum cupidè deſiderat, titulum magiſterii in aliis ludendis & exagitandis valde expetere non debere. Verum quidem eſt, non poſſe nos ullo modo vitam hanc mortalem & ærumnoſam abſque recreatione & quiete traducere: & quia ludi & joci hilaritati & riſui, & quæ conſequitur, recreationi cauſam præbent, amamus ferè eos, qui hac in parte ſunt cavillatores faceti & jucundi. Atque ideo contrarium videtur eſſe verum, nimirum hoc, quod in communibus hominum congreſſibus, jocis nonnunquam & dicteriis ludere omnino conveniat. Equidem ſine dubio, ii qui modo quodam dulci & amabili alios ludere norunt, præ aliis, qui id facere nequeunt, ſunt amabiles. Sed hic rerum ſanè complurium ratio eſt habenda. Et quoniam jocanti propoſitum eſt, etiam ex ejus, quem in pretio habet, errore hilaritatem captare: opus eſt ut error, in quem alterū vult conjicere, talis ſit, ut neque inſignis aliqua ignominia, neque grave aliquod damnum ei ſit conjunctum. Alias enim jocationes ab

injuriis

injuriis difficulter possent discerni. Prę-terea sunt nonnulli, cum quibus propter naturæ suæ duritiem intractabilem nullo modo est jocandum. Similiter in rebus gravibus jocari non debemus, multò minus in flagitiosis. Videtur enim is, qui tale quid facit, improbitatem, ludum, jocumque esse existimare. Quocirca non credo, quòd Lupus ille Uberti imminuerit facti sui turpis ignominiam: imo quod eam joculari quadem improbitate excusando, suamque ignaviam præ se ferendo, effecerit multo graviorem. Is enim, licet castellum Laterinum posset defendere: tamen cùm videret, se ab hostibus aggere facto circumvallari, subitò castellum illis tradidit, dicens, naturam lupi non ferre, ut in clausis, septisque locis maneat. Ubi enim risui locus non est, ibidem jocari quoque & nugari minimè decet. Præterea quoque sciendum tibi est, quòd quidam joci sint mordentes, quidam non mordentes. De illis sufficere tibi volo sapientis cujusdam præceptum, qui dicebat, jocos instar ovium, non instar canum auditores mordere debere. Si enim morsus insit caninus, jocum jam non amplius jocum esse, sed

potius injuriam. Leges etiam in omnibus fermè civitatibus volunt, ut is, qui dicto aliquo graviter injurioso alterum incessit, graviter quoque puniatur. Et fortè non fuisset inconveniens, simili modo non levem castigationem in eos constituere, qui specie jocorum, ultra quàm decet, alios mordent, Hominis autem bene morati est ratiocinatione sua colligere, quòd lex quæ de injuriis sancit, etiam ad jocos istos aculeatos se extendat, atque idem raro, & quàm fieri potest lenissimè, dentatis hujusmodi dictis utetur. Supra hæc omnia sciendum est, jocos sive mordendi vim habeant, sive eadem destituantur, nisi subtiles sint & faceti, auditores non modo non oblectare, sed iisdem afferre tædium, aut si omnino rideant, fieri id, non propter iocum, sed propter iocantem. Et quia nihil aliud sunt ioci, quàm ingeniosa quædam fallacia: fallacia autem res subtilis est & artificiosa: exerceri ea commodè non potest, nisi ab homine acuta & prompta sagacitate, & ea quidem quæ ex improviso se exerat, præstante. Ideoq; non conveniunt hominibus plebeiis, stupidis & tardis: imo fortè non unicuiq; eorum, qui bono ingenio

abundent,

abundent. Joci enim potius in peculiari quadam promptitudine, venustate, & celeribus animi moribus consistunt. Qua de causa viri prudentes hac in parte, non tam quid velint, quàm quid possint considerant: & postquam semel atque iterum viribus ingenii sui adhibitis, hujus rei periculum fecerunt frustra: intelligentes se parum ad id aptos esse, desistunt, & nolunt in hoc exercitio plus laboris insumere. ne idem fortè illis, quod Asino illi Æsopico usu venit, contingat. Quòd si ipse mores aliorum accuratè examines, facilè deprehendes, id quod dico verum esse: nimirum jocationes non decere cum cui velit, sed eum solummodo, qui possit. Videas autem quosdam ad unumquodque verbum, aliud quoddam, & sæpe etiam quod nullius significationis est, vocabulum in promptu habere: alios syllabas vocabulorum frivolo & fatuo quodam modo permutare: alios dicere aut respondere aliter quàm expectabatur, & id quidem sine aliqua subtilitate, aut venustate gratiosa. *Ubi est dominus? in suis vestibus, nisi fortè lavet. Quomodo sapit vinum? quasi esset humidum. Quomodo editur hoc alimentum?*

ore. Quo etiam pertinere videtur illud prologi Plautini.

Hos quos videtis stare hic captivos duos,
Illi qui stant, ii stãt hic ambo, non sedent.

Qui modi jocandi omnes, quod intellectu tibi facile est, viles sunt & plebeii. Verùm disputare qui joci maximè venusti & lepidi sint, qui minus, non est in præsentia nostri instituti: hoc enim ab aliis doctoribus & artificibus multo me melioribus copiosè est explicatum. Et insuper cùm ipsi joci è vestigio satis magnum & certum suæ venustatis & gratiæ habeant testimonium: parum admodum hoc in genere poteris errare, nisi fortè supra modum amore tui ipsius sis excæcatus. Siquidem ubicunque jocus est facetus & elegans, ibidem subitò hilaritas est, & risus non vulgari cum admiratione conjunctus. Quare si tuæ argutiæ risu assidentium non fuerint approbatæ, deinceps argutari desine: penes te enim hujus rei, non penes auditorem est defectus. Siquidem auditores prompto, venusto, & subtili responso vel dicto quasi sollicitati, etiam cùm volunt, risum continere non possunt, sed rident etiam inviti: à quibus tanquam veris legitimisq;

judicibus

judicibus nemo appellare debet ad seipsum, aut rursus id, quod malè antea successit, experiri.

Neque etiam vel dicendum vel faciendum quippiam est modo abjecto, inconvenienti & scurrili, ut aliis risum excitemus, qualia sunt oculos & os distorquere, sanniorumque ineptias gesticulando repræsentare. Nemo enim ut aliis placeat, seipsum vilem & abjectum facere debet. Hæc enim ars est non viri nobilis, sed gesticulatoris & morionis. Itaque plebeii illi & vulgares jocorum modi non sunt imitandi. Neque etiam stultum, aut in jocis scurrilibus insulsum te finges: sed is, qui potest, suo tempore aliquid quod bellum & novum, & non ita facilè omnibus obvium sit, proferet: qui verò id non potest, tacebit. Ex moribus enim animorum ista proveniunt: quæ si gratiosa sint & venusta, de animi dexteritate & moribus ejus qui dicit, signum & testimonium perhibent, quod quidem aliis supra modum placere solet, & illos ipsos caros & amabiles reddere. Si verò contrarium obtinent, contrarii quoque inde nascuntur effectus. Videntur enim illi similes esse asinis delicias facientibus,

Scurrilitas.

aut crasso alicui & ventricoso choreas ducenti, vel tunica deposita saltanti in palæstra.

Narrationes jocosæ.

Rhetorica.

Sunt etiam alii quidam honestæ jucunditatis & oblectationis modi, tantum in sermone consistentes, hoc est, quando lepor ille est non tam in salibus, qui ut plurimum brevitate gaudent, quàm in prolixa & continuata oratione, quæ & rectè ordinata, & bene expressa esse debet, ita ut ingenia, consuetudines, gestus & mores eorum de quibus sermo est repræsentet: & ut is, qui auscultat, non tam audire illam narrationem, quàm rem ipsam quæ narratur, sicuti gesta est, coram oculis intueri sibi videatur. Id quod optimè facere norunt viri & mulieres in Boccatio: quamvis nonnunquam nisi fallor, magis signatè & propriè res turpiculas expriment, quàm vel matronæ, vel viro honesto conveniebat: eodem ferè modo, quo comœdiæ agi solent. Si igitur narrare aliquid velis, necesse est, ut aliquam vel fabulam, vel rem novam, vel historiam quam commemorandam tibi sumis, bene animo infixam teneas, & simul verba parata & in promptu habeas, ne subinde narrationem interrum-

pere,

pere, & jam de reipsa, jam de personarum nomine, jam de instrumentis alios percontari, aut eorundem auxilium implorare cogaris. Quod si etiam aliquid quod inter plures dictum vel factum est, commemorare velis, non ita loqueris: *Ille dixit*, & mox: *Ille respondit*. Hæc enim pronomina omnibus personis conveniunt, atque ideo qui auscultat, facilè in errorem inducitur. Convenit igitur, ut is qui aliquid narrat, nomina propria ponat, eaq; postea inter se non permutet. Præter hæc quoque recitator iste cavere debebit, ne in sua narratione earum rerum mentionem faciat, quæ silentio præteritæ si essent, ipsa fabula non minus aut etiam magis jucunda fuisset futura, *Is de quo loquor, fuit hujus aut illius filius, qui habitat in via Jacobea, nostine hominem? habuit is uxorem hujus vel illius filiam macilentam illam, quæ in S. Laurentii sacris interesse solebat, cur non nosses? certè si hanc non nosti, nullam noveris. Item: Bellus quidam & procerus senex, qui prolixam cæsariem alebat; annon recordaris?* Quia si alteri quoque idem evenisset, quod huic evenit: tota hæc quantumvis longa inquisitio, parum fuisset utilis, imo

valde odiosa auscultantibus, qui cùm ad integram rei inchoatæ cognitionem cupidè properent, tu facis, ut huic ipsorum desiderio mora injiciatur. Talia fortè apud delicatos auditores essent illa amatorculi Plautini. *Hic mihi est Megadorus avunculus. Meus fuit pater Antimachus. Ego vocor Lyconides. Mater est Eunomia.* Parum enim ad rem præsentem facere videbatur tam accurata & prolixa progeniei enumeratio. Imo ego à magno quodam & peregrino dicendi magistro utile quoddā hac de re didici præceptum, quod tale est: Debere fabulas primò componi & ordinari in animo nominibus fictis, & postea demum propriis personarū nominibus adhibitis commemorari, illa enim secundum personarum qualitatem, hæc verò ex voluntate parentum, aut eorum quorū interest, hominibus imponuntur. Qua de causa is qui in præmeditatione tibi fuit Avaritia, ille ipse in narratione erit aliquis civium tuorum, Tantalo aut Euclioni non dissimilis; si modò de illo universalis omnium in tua patria talis erit opinio, qualis antiquitus de Tātalo aut Euclione esse solebat. Quòd si in regione ubi tu cōmo-

raris, non habebis personam tibi cognitam, quæ tuo instituto congruat: ita conformare rem omnem debebis, ut alio in loco contigisse videatur: atq; ita nomina pro libitu tuo confingere. Verum quidem est, quod majori cum voluptate audiatur, magisq; oculis nostris obversetur, id quod dicitur, evenisse hominibus nobis notis, præsertim si eventum tale sit, quod moribus ipsorum conveniat: quàm id quod accidit extraneis, & nobis ignotis. Ratio hæc est, Cùm enim scimus certum quempiam hominem talia facere solere: credimus etiam faciliùs ea ipsum fecisse, eumq; quasi præsentem recognoscimus: cùm idem non contingat in extraneis. In narratione prolixiori, sicut etiam in alio quocunque sermone, verba debent esse illustria, ita, ut à quovis ex præsenti sodalitio facile possint intelligi: insuper etiam ratione soni & rei significatæ bella: quocirca si inter hæc duo libera tibi electio est, potius dices, *Ego duos mei facti habeo cōscios, quàm testes.* Itē satius est dicere, *Jovem alpes nivibus conspergere, quàm conspuere.* Item, *ex animo molestiam ejicere, quàm evomere.* quia ita si loqueris, dicta tua simpliciter accipientur:

Delectus verborum.

accipientur: neq; ob ambiguitatem in sensum aliquem turpem, aut præposterum trahentur. Sed neque imaginationem rei alicujus spurcæ & obscœnæ induces. Et etiamsi fieri possit, ut nonnunquam præstantissimi poetæ, & alii viri sapientia excellentes in scriptionibus suis parum hæc observârint: tamen hac in parte, in qua de amabili cum aliis conversatione, & vitando odio agitur, nulla eorum autoritas esse debet. Sed ut ad priora redeamus, dico verbis claris & significantibus esse utendum: quod fiet, si prudenter noveris eligere ea, quæ in patria sua nata sunt, modò ne sint usque adeo antiqua, ut rancida quoque & exoleta sint, & tanquam vestes laceræ & contritæ, jam abjecta in usu esse desiderint. Talia in Latina lingua sunt, *potesse, calvier, suat, levasso.* Quin etiam id ipsum consecuteris, si verba quibus uteris, erunt simplicia, non ambigua: nam in ænigmatum conformatione voces homonymæ construuntur: ut in Asinaria Plauti,

Nunc me illuc ducis ubi lapis lapidē terit,
Ubi vivos hōines mortui incursāt boves.

Eodem pertinet, ut verbis utamur, quantum fieri potest, maximè propriis.

&c

& rem quàm ostendere volumus, significantissimè exprimentibus, & quæ quàm minimum aliis quoque rebus accommodari possint. Ita enim fit, ut res ipsæ videantur repræsentari, & non tam verbis, quàm digitis ipsis demonstrari. Ita equi proprium est hinnire, canis latrare, porci grunnire, tauri mugire, ovis balare, apri frendere, serpentis sibilare. Cùm igitur genuina & propria in sermone cum aliis vocabula usurpanda sint: nemo potest cum eo cómodè colloqui, qui linguam quæ in usu est, non intelligit. Quare etiamsi hospes aliquis linguam, qua utimur, non teneat: tamen ejus causa nostram loquelam non debebimus corrumpere. Sicut simii quidam ineptientes, magno cum nisu ejus linguam usurpare conantur, cum quo sermones conferunt, atq; ita omnia dicunt perperam. Inde sæpenumero contingit, ut Germanus cum Belga belgicè, & Belga pompæ & venustatis gratia cum Germano loquatur Germanicè. Ubi nihilominus audienti longè facilius est animadvertere, utrumque illorum lingua uti peregrina, quàm risum continere, quem novæ illæ ineptiæ è bucca eorum exeuntes

tes, magnopere irritant. Aliena igitur lingua tum demum utemur, quando, necessitate aliqua nostra urgente, ut, ab altero intelligamur, valde nobis opus est. Sed in communi cum aliis convictu tantum patriam linguam adhibebimus, etiamsi ea aliis melioribus longè inferior & ignobilior censeatur. Bavarus enim aliquis multo commodiùs sua lingua, quamvis ea minùs habeatur concinna, loquitur, quàm lingua Misnica, aut quavis altera. Nunquam enim, etiamsi maximè in eo elaboret, ita bene illi se offerent propria & peculiaria ejus linguæ vocabula, sicut iis, qui in Misnia nata sunt, ea se offerunt. Quod si omnino quis eorum quibuscum loquitur, rationem habere velit, eamq; ob causã à singularibus istis vocabulis, de quibus jam dictum est, abstinere, eorumque loco alia generalia & communia usurpare: ejus certè sermones hoc nomine multo minus erunt jucundi. Porrò quilibet vir honestus cavebit sibi à verbis parum decentibus & inquinatis. Honestas autem vocabulorum consistit, vel in eorum sono & voce, vel etiam in eorum significatione. Sunt enim vocabula nonnulla res honestas significantia

ficantia, & tamen nihilominus in ipsa voce & sono videtur sentiri aliquid inhonesti. Ubi igitur verba hujusmodi leviter quoq; suspecta se offerunt, solent fœminæ honestiores in eorum locum alia magis decentia substituere. Etiamsi reperies nonnullas, non optimè moratas, quibus satis crebrò & inconsideratè verbum quodpiam excidit, ob quod, si de industria apud ipsas nominaretur, ipsæ quoq; erubescerent. Quocirca mulieres, quæ bene moratæ sunt, vel etiam haberi volunt, diligenter non solùm à factis, verùm etiam à dictis inhonestis sibi cavebunt, neque solùm ab iis quæ talia sunt, verum etiam ab iis quæ talia esse possunt, aut etiam turpia, indecora, & impura videri. Sciendum quoq; est: etiamsi duo vel plura vocabula nonnunquam rem eandem significent, quòd tamen alterum altero magis aut minùs sit honestum. Verbi gratia, non inhonestè dici posset, *Cū muliere pernoctavit*: sed si eandem sententiam alio & magis proprio verbo exprimes, auditu id inhonestum esset futurum. Ita fœminas atque etiam viros bene moratos decet, meretrices nominare mulieres impudicas, atque ita

de-

de cæteris. Neque solùm fugienda sunt verba inhonesta & impura, verùm etiam abjecta & vilia, & id iis maximè in locis, ubi de rebus magnis & illustribus sermo est, eamque ob causam meritò reprehendi videtur Poeta quidem aliàs non ignobilis, qui cùm splendorem cœli sereni describere vellet, dixit: *& sine face dies.* Vocabulum enim tam humile & putidum, rei tam splendidæ & illustri, meo quidem judicio, non conveniebat. Neque etiam *solem lucernam mundi* commodè quis dixerit: hæc enim vox fœtorem olei & culinæ legenti repræsentat. Huc pertinēt plurima quæ in ore omnium sunt proverbia, quorum sententia quidem bona est, sed verba sordibus vulgi sunt inquinata: id quod unusquisque ex sermone quotidiano facilè intelligit. In narrationibus ergo longiusculis ea quæ dicta sunt hactenus, sunt consideranda, imò alia quoque nonnulla quæ multo expeditius à tuis magistris, & ex arte Rhetorica addidiceris. Inter alia etiam opus est, ut te assuefacias ad verba elegantia, modesta & jucunda, & quibus nihil insit saporis amari. Potius enim dices: *Ego pro dignitate*

verbis

verbis exprimere hæc non potuit quàm, *in me non intelligis.* Item satius est ita loqui, *Cogitemus aliquantulum an res sic se habeat:* quam dicere. *Tu erras,* aut, *Ita se res non habet:* aut, *Tu hæc non intelligis.* Honesta enim & amabilis consuetudo est, alium excusare, etiam in eo, in quo intelligis jure eum culpari posse. Imo etiamsi amicus tuus solus erraverit, tamen eum errorem utrique vestrum facies communem, cumque ejus partem aliquam tibi adscripseris, tum demum ipsum admonebis, aut reprehendes, hoc aut simili modo loquens: *Nos vehementer erramus:* item, *Nos non recordati sumus, ut heri hoc vel illud faceremus:* etiamsi ille solus non tu, ejus rei fuerit oblitus. Illa quoque verba quibus nonnunquam homines inciviles apud alios utuntur, cum aiunt, *si modo ea quæ loqueris vera sunt,* supra modum dedecent. Neq; enim usq; adeo facilè alterius fides in dubium est vocanda. Quin si quis fortè aliquid tibi promiserit, quod postea nō pręstet, incōveniens est dicere: *Solvisti fidē,* nisi fortè ad id faciendū, vel extrema necessitas, vel existimationis tuę defensio te impellat. Quod si idem te deceperit, dicere poteris

ris *fortè oblivione circumventus* [...]
m hoc negotium non expedivisti. [...] si oblitus sit, potius dices, *Tu facere hoc non potuisti:* aut, *Fortè tibi in mentem jam non venit:* potius dico quàm, *Tu tradidisti illa oblivioni: Tibi ut promissis stares, curæ non fuit.* Hæc enim & hujus generis verba aculeos quosdam habent, & veneno quodam doloris & contumeliæ sunt imbuta: usque adeo quidem, ut ii qui crebrò hujusmodi dicteriis utuntur, homines asperi & rigidi habeantur, & unusquisque eorum consortium ita fugiat, sicuti ut ne à sentibus aut tribulis pungatur, refugere solet. Et quoniam cognovi nonnullos pravæ cuidam, & inscitæ consuetudini obnoxios, hoc est, qui adeo cupidi & avidi essent garriendi, ut ne quidem certam aliquam sententiam animo comprehenderent, multo minus verbis explicarent, sed eam incitato cursu præterirent, instar canum venaticorum qui ob nimiam celeritatem, feram non comprehendunt: idcirco sine ulteriori deliberatione hoc quoque tibi indicabo, de quo fortè, quia omnibus manifestum est, admonitionem institui fuerit supervacaneum, est autem tale. Nullum unquam

unquam sermonem inchoandum esse, nisi prius ejus, de qua dicendum est, rei formam animo conceperis. Sic enim oratio tua partus erit legitimus, non abortus. Quod si præceptum hoc meum non fueris aspernatus, nunquam tibi eveniet, ut alios salutans, in eorum nominibus erres, aut petere cogaris, ut alter suum tibi nomen suggerat. Neq; etiam opus erit ut ipse cum risu dicas, *Hem, ego non dico bene: sic & sic me dicere oportuit*; aut ut lingua quasi impingens, satis diu balbuties, donec aliquod verbum invenias, id quod cum audientium intolerabili molestia est conjunctum. Cavendum quoque est, ut vox tua non sit rauca neque aspera: neve per risum, aut aliàs, stridorem rotarum in plaustro imitetur. Inter oscitandum quoque sermo est cohibendus. Ipse quidem non ignoras, non posse nos in nobisipsis efficere ut nostro arbitrio vel linguam expeditam, vel bonam vocem habeamus: sed tamen, qui aut balbus aut raucus est, non præ omnibus aliis garrulus & vocalis esse debet, sed potius linguæ suæ defectum silentio & auscultatione emendare. Quamvis studio quoque adhibito vitia illa naturę aliquando minui queant.

quærant. Indecorum quoque est instar præconis edictum aliquod proclamantis, vocem attollere: aut etiam eandem ita deprimere, ut exaudiri ab auscultante non possit. Quòd si prima vice verba tua exaudita non sint, atq; ideo eadem forte sint repetenda: secunda illa vice neque submissiùs loqui debebis neq; etiam justo vehementius vociferari, ne, ideo quòd semel dicta denuo iteranda fuerint, bilem tibi indices commoveri. Verba quoq; in oratione ita collocari debent, sicuti usus sermonis quotidiani postulat: nimirum ut neque sint involuta & intricata, aut nimis ambitiosè huc & illuc trajecta, quod multi ex affectatione quadam venustatis facere solent quorum quidem sermo similior est verbis alicujus Notarii, qui instrumentum Latinè à se conscriptum lingua vernacula aliis prælegit, quàm orationi hominis alterius, patria sua lingua utentis. Oratio quidem ita trajecta & perturbata nonnunquam iis qui versus faciunt, congruit, sed in sermone familiari semper indecora est. Neque solum à Poeticis loquendi modis in familiari sermone abstinendum est, verùm etiam à pompo-

ill-

illa in publico dicendi ratione: id enim nisi fiat, insuavis & tædii plena erit oratio, etiamsi majoris fortè artificii sit, orationes illas solennes habere, quàm privatim cum altero colloqui. Sed tamen hoc ipsum suo loco est reservandum. Quia per plateas qui incedit, saltare non debet, sed ire: etiamsi enim ire possint omnes, saltare verò non item: tamen id nuptiis magis congruit, quàm viæ. Ab hoc igitur pleno ostentationis sermone tibi cavebis. Neq; tamen volo, ut propterea ad abjectam illam & vilem loquendi rationem, qua infima fex plebis, in qua cerdones, bajuli, & lotrices sunt, utitur, te assuefacias: sed potius ut sermonem hominum bene moratorum & nobilium imiteris: quod ipsum quomodo fieri possit, aliqua ex parte superius tibi demonstravi. Si nimirum de materia neq; vili, neque frivola, neq. sordida, neq; abominanda sermocinabere. Item si ex verbis tuæ linguæ noveris eligere ea, quæ maximè sunt pura, propria, bene sonantia, quæq; quàm optimam significationem habeant, nulliusque rei vel turpis, vel spurcæ, vel vilis recordationem animo insinuent. Item si illa ipsa verba

Præcepta Rhetorica.

ba

ba concinnè inter se construes, ita ut non fortuitò inter se coacervata & confusa, neque etiam obscura quadam diligentia in mensuram & pedes certos coacta videantur. Si item operam dabis, ut ea quæ dicenda sunt, prudenter & distinctè proferas, & res diversas & valde dissimiles inter se non conjungas. Præterea si in sermone neque ita lentus eris, ut aliquis in mensa, qui rerum omnium est satur: neque ita avidus, ut quispiam famelicus: sed si ita loqueris, ut homo moderatus facere debet. Si item literas & syllabas cum convenienti quadam dulcedine proferes, sed id tamen non more pædagogi alicujus, (qui in ratione legendi & literas conjungendi pueros informat) neque verba vel manducantium instar dentibus conficies, vel ea inter se conglutinata & compacta quasi deglutіes. Hæc igitur & alia ejus generis præcepta si accuratè memineris, libenter & cũ voluptate alii te audient: & tu ipse cum dignitatis locũ, qui viro honesto, beneq; educato ac morato convenit, cũ laude obtinebis. Multi præterea sunt, qui finẽ dicẽdi facere non possunt, & sicuti navis ventorum impulsu primo concitata, etiã

velis

velis contractis non subsistit: ita ipsi quoque certo quodam impetu incitati cursum continuant, & licet materia dicendi illis desit, tamen idcirco non desinunt, sed aut jam antea dicta denuo inculcant, aut quidquid in buccam venerit, temere effutiunt. Nonnulli quoque tanta & tam insatiabili dicendi quasi ingluvie laborant, ut alios locuturos interpellent. Et sicuti nonnunquam in rusticorum fimetis videmus, pullos gallinaceos alios aliis ex rostellis grana præripere: ita isti sermonem inchoatum alteri ex ore auferunt, & ipsi mox incipiunt sermocinari; qui profecto ita aliis bilem concitant, ut potius manus quàm verba cum illis conserere expetant. Etenim si accuratè rem perpendas, nihil est quod citius & facilius alterius iram provocet, quàm si desiderium & voluntas ejus, etiam circa rem minimam, ex improviso impediatur: ut si oscitandi gratia os aperias, & id subitò ab altero tibi comprimatur. Aut si lapidis projiciendi causa dextram jam sustuleris, & alter à tergo tibi nihil tale cogitanti eam inhibeat. Sicuti igitur hi & multi alii his similes, propositum & voluntatem aliorū impedientes

modi,

modi, etiam in ludo & joco ingrati, & fugiendi sunt: ita in dicendo quoq; latius est, aliorum desiderium adjuvare, quàm impedire. Quocirca si quis jam totus in eo erit, ut factum aliquod commemoret, indecorum est, si tu inchoatam narrationem illi corrumpas, aut dicas te idipsum scire. Vel si in historię illius suæ progressu mendaciolū aliquod inspersit, tu nequaquam hoc illi neq; verbo, neq; gestu exprobrabis, vel etiam caput quatiendo, aut oculos distorquendo, id quod multi facere solent, qui consirmant amicitiem illam mendacii nullo se modo sustinere posse. Sed hęc non vera hujus rei causa est, sed potius acrimonia & acerbitas rusticæ & asperæ ipsorū naturæ, quæ illos in mutua sermonum & officiorum cōmunicatione ita acerbos reddit, ut quilibet eos aversetur. Molesta etiam consuetudo est, alterius verba quæ in ore habet, obstrependo interrumpere, quod quidem tantopere ei, qui id patitur, placet, quātopere placeret, si te aliquis pleno cursu ad metā contendentem subito retraheret. Neq; etiā convenit, ut alio quopiā loquēte, tu, vel novi aliquid mōstrando, vel pręsentium attentionē aliorsum se-

cando, efficias, ut ab auditoribus neglectus deseratur. Neque enim decet, ut non à te, sed ab aliis invitatos tu dimittas. Attentus quoque esse debebis, cùm alii tecum colloquentur: ne subinde tibi opus sit dicere, *quid ais? quomodo dicebas?* quo quidem vitio multi laborant, cùm tamen hoc non minori cum loquentis molestia sit conjunctum, quàm si inter eundum pedes saxo alicui impingeret. Hi modi omnes, & in universum quicquid cursum dicentis ex directo, vel transverso potest inhibere, est fugiendum. Quòd si quis in loquendo tardior sit, non debebis illum antevertere, aut verba ei suppeditare, tanquam tu opulentus sis, cum ille sit egenus. Multi enim hoc in malam partem accipiunt, & ii præsertim, qui se valde disertos esse sibi persuadent, atque ideo arbitrantur, sibi non tantum à te tribui, quantum sibi tribuendum esse ipsi opinantur: teque in ea arte cujus scientiam profitentur aliquid ipsis velle suggerere. Perinde ut mercatores nonnulli faciunt, qui ignominiæ loco habent, si quis eis suam offerat pecuniam, quasi ipsi non habeant, aut pauperes sint, aut certè aliorum ope indigeant. Et scito quòd

unusquisque sibiipsi videatur bene loqui posse, etiamsi fortè aliqui modestiæ causa id negent. Neque ego divinare possum, quæ causa sit, quod qui minimum scit, ferè plurimum loquatur: à quo ipso, id est, à nimio sermone, ut homines morati sibi caveant, conveniens est, præsertim si non maximæ sint intelligentiæ: idque non solùm ideo quòd difficile sit, unum eundemque simul & multa loqui, & non multum errare: sed etiam quòd is qui eo modo verbosus est certo quodam modo iis qui audiunt, excellentior esse videatur, sicut præceptor suis discipulis habetur præstantior: quocirca indecorum est, si quis hac in parte majorem, quàm par est, excellentiam sibi ascribat. In hoc autem peccatum non solùm multi homines, verùm multæ quoque nationes incidunt garrulæ & loquaces. Væ iis auribus, quas semel illæ apprehenderunt, suisque ineptiis patere cogunt.

Taciturnitas. Jam sicuti sermo immodicus fastidium parit, ita etiam nimia taciturnitas odiosa est. Ibi enim tacere, ubi alii per vices loquuntur, nihil aliud videtur esse, quàm ad convivium pro sua parte symbolum nolle conferre. Et quoniam

loqui

loqui est alteri audienti suum animum aperire: ex adverso qui tacet, videtur aliis velle esse ignotus. Quamobrem sicut ij, qui in solennitatibus & festis suis multum bibere, seque inebriare consueverunt, removere à se solent eos, qui non bibunt: ita mutos quoque istos in lætis & amicis congressibus nemo libenter videt. Perjucunda igitur consuetudo est, si alternatim suo quilibet loco & loquatur & taceat.

Fuit jampridem in Peloponneso, quod ex antiquis historiis patet, bonus quidam vir & statuarius, qui propter nominis sui celebritatem, ut ego existimo, Polycletus, id est, artifex clarissimus, est cognominatus. Is in extrema senectute opusculum quoddam confecit, quo omnia artis suæ, quā ipse rectissimè tenebat, præcepta est complexus: demonstrans in eo, quomodo membra corporis humani metienda essent, unumquodque seorsim, vel etiam respectu alterius considerando, ut convenienti symmetria sibi mutuò corresponderent. Quod suum volumen ille Canona seu Regulam appellavit, indicare volens, quòd secundum eam, tam- *Polycletus ejusq; Canon.*

quam legem quandam, omnes ſtatuas
deinceps ab aliis ſculptoribus faciendas
exigere & conformare deberent, ſicuti
trabes, lapides, & muri quoque ad certam quandam regulam examinantur.
Sed quoniam dicere res multo facilior
eſt, quàm facere: & præterea major
pars hominum, & maximè illiterati,
ſemper ſenſus potius exteriores in
promptu habent, quam mentem & intellectum, atque ideo quod proximum
eſt, meliùs res ſingulares & exempla,
quàm res univerſales ſeu ſyllogiſmos &
ratiocinationes animo comprehendunt:
idcirco excellens ille, quem diximus,
ſculptor rationem habens naturæ artificum, generalibus præceptis intelligendis non ſatis accommodatæ, & ſimul ſuam in ea parte excellentiam facturus illuſtriorem, de marmore optimo ſibi
proſpexit, ex quo diuturno labore ſtatuam formavit, eâ membrorum inter ſe
ſymmetriâ omnibuſque ſui partibus ita
abſolutam, ut antea libri ſui præceptis
id expoſuerat. Et ſicuti tunc librum,
ita jam ſtatuam quoque ſuam Regulam appellavit. Utinam verò hoc
ita jam Deo placitum eſſet, ut, ex
iſtis duabus rebus, quarum utram

qu-

quæ nobilis ille artifex perfectè tenuit, altera solummodo mihi concederetur: nimirum ut tantum libello hoc meo debitam, ejus quam trado artis mensuram, possem complecti. Nam alterum illud, ut in me ipso & moribus meis ideam quoque & exemplum, quod præceptis jam datis perfectè respondeat, oculis subjiciam tuis, illud inquam deinceps fortè à me fieri non potest. Quandoquidem iis in rebus, quæ ad mores hominum formandos pertinent: non satis est, scientiam & regulam certam habere, sed opus est eas actu & usu quotidiano repræsentare, id quod uno quasi momento, & brevi temporis spatio acquiri non potest. Verùm permulti, permulti (inquam) anni, quorum tamen paucissimi, ut vides, reliqui mihi sunt, ad hoc requiruntur. Neque tamen hanc ob causam meis hisce præceptis minus fidei tribues. Bene enim quis alteri eam viam potest monstrare, per quam iter faciens ipse erravit. Imo qui aberrarunt, fortè multo accuratius observarunt, & memoria tenent diverticula illa fallacia & incerta, quam alius quispiam, qui semper via recta & regia incessit. Quòd si in pueritia mea, cùm

animi adhuc teneri sunt & flexibiles, ii, quos mei curam habere oportuit, mores meos, sua forte natura duriusculos & rudes, rectè & commodè flectere, mollire & expolire scivissent: talis fortè ex eorum disciplina prodiissem, qualem ego te, qui non minus quàm filius mihi carus es, efficere & conformare hoc tempore elaboro. Etiamsi enim magna vis sit naturæ: nihilominus tamen ea usu & exercitatione sæpissimè superata est, vel saltem emendata. Veruntamen quàm fieri potest, citissimè inchoanda est hæc disciplina, qua vitiis naturæ obviam eatur, eaque prius retundantur, quam illorum vis & robur nimium invalescant. Id quod plerique nequaquam faciunt. Imo etiam cùm cupiditatum suarum impulsu à recto itinere declinarunt, & sine ullo eis resistendi studio, quo illæ rapiunt, sequuntur, credunt tamen se naturæ obedire. Quasi verò ratio non sit homini naturalis. Imo recta ratio tanquam regina & magistra potestatem habet mores & consuetudines corruptas mutandi, ipsamque naturam, si quo inclinet, aut etiam aliquando labatur, sublevandi. Verum nos ut plurimum rationi

Usus & recta ratio naturæ pravæ dominatur.

non

non auscultamus, atque ita etiam ut plurimum iis, quibus eam Deus non concessit, id est bestiis, similes sumus. In quibus tamen ipsis nihilominus aliquid agit & operatur ratio, non quidem ipsorum propria, qua per se planè destituuntur, sed nostra, id quod in equis potes animadvertere, qui sæpenumero, imo semper potiùs natura sua feri & indomiti essent futuri, & tamen equiso eos reddit non solum mansuetos, verum etiam præter hoc quasi doctos & moratos. Multi enim successores futuri essent, quos ille ut tollutim incederent assuefaciens, gradarios reddidit. Item ille similiter multos equos docet, jam stare, jam currere, jam in gyrum ire, jam saltare, & ea omnia equos etiam addiscere non ignoras. Quod si igitur equi, canes, volucres, & multa alia animalia quæ magis etiam quàm hæc, sunt fera, alterius rationi se submittunt, eiq; obediunt: eaq; quæ natura sua non sciebant, discunt: & quantum conditio illorum fert, quodãmodo prudentia & virtute predita, non quidẽ natura sed consuetudine, evadunt: quanto meliores nos futuros credendum est, si rationis nobis proprię prędceptis aures dociles adhibeamus,

amus. Sed ſenſus noſtri amant & appetunt præſentem voluptatem, qualiſcunque ea ſit: moleſtiam verò omnem odio habent & à ſe cupiunt amovere. Atque ideo rationem, quæ amara ipſis videtur, inſuper fugiunt, quandoquidem non de voluptatibus, quæ ſæpenumero noxiæ ſunt, illis providet, ſed potius de honeſto & bono, quod ſemper cum moleſtia & ſapore amaro, maximè in iis, qui guſtandi quoque vim corruptam habent, eſt conjuncta. Quatenus enim ſecundum ſenſus inter nos mutuò vivimus, ſimiles ſumus miſero alicui ægrotanti, cui omnis cibus, quantumvis delicatus ſit & ſuavis, videtur eſſe amarus aut ſalſus, atque ideo ancillæ aut coquæ quæ hac in parte planè extra culpam ſunt, ſtomachatur. Non enim cibi, ſed ſuam propriam amaritudinem ſentit, cui linguam, quæ guſtus inſtrumentum eſt, habet involutam. Sic ratio quoque, quæ per ſe dulcis eſt, nobis non ſuo, ſed noſtro ſapore vitioſo videtur amara: atque ideo tenerorum delicatorúmque more guſtare eam nolumus, noſtramque utilitatem his ferrè verbis occultamus. Quod naturæ neque calcaria, neque fræni poſſint adhiberi, quibus

bus illa vel incitetur vel contineatur, atque ideo sinendum esse, ut, quocunque fert impetus liberrimè ruat. Profectò si aut boves, aut asini, aut fortè etiam porci, sermonis usum haberent, credo ego, quod sententiam magis inhonestam & absurdam, quàm hæc est, proferre vix potuissent. Certè etiam in virili & decrepita ætate essemus pueri: & cani jam, non minus, quàm pueri, vanis & nugatoriis ineptiis dediti essemus, nisi ratio esset, quæ unà cum ætate in nobis crescit, & adulta jam, nos quasi ex bestiis homines facit: ita quidem ut in sensus & appetitus nostros vim & potentiam suam exerceat. Et si quando fines honesti in vita & moribus transeamus, id non tam defectui naturæ, quàm nostræ malitiæ est adscribendum. Quòd cum ita sit, falsum est quòd contra naturam frænos aut magistros non habeamus. Imo eorum duas habemus, quorum alter est usus, alter recta ratio. Verùm sicuti paullò antè tibi dixi; non potest ratio ex malè morato bene moratum efficere sine exercitatione & usu, quem parit & adfert tempus. Qua ipsa de causa, maturandum est, ut rationi auscultare incipiamus, non

Principiis obsta.

solùm ideo, quòd tum aliquis plus temporis habeat assuefaciendi se, ut talis fiat, qualis ab ea esse jubetur: atq; ita quasi illius domesticus & familiaris sit: verùm etiam quòd ætas tenera, & nullis adhuc vitiis inquinata, facilius quolibet colore imbuatur: atq; adeo res illæ, quibus à primis unguiculis aliquis assuevit, in dies magis magisq; soleant placere. Eamq; ob causam aiunt, Theodorum quendam nobilem tragœdum semper in actione fabularum suarum primum esse voluisse: etiamsi alium quempiam, ante se recitaturum, vilem nullius que præ se existimationis esse intelligeret. Existimabat enim, spectatores, primis illis auditionibus quas accepissent, benevolos jam familiaresq; factos non facilè ullam aliam, quamvis meliorem, esse probaturos. Quia verò ob causam jam dictam, facere non possum ut facta mea dictis exactè congruant: id quod Polycletus faciebat, qui quod docebat, re ipsa quoq; poterat præstare: satis mihi sit aliqua ex parte quod fieri debeat, dixisse: postquam agendo id ipsum exprimere omnino non possũ. Sed quia ex aspectu tenebrarum cognoscitur quid sit lux, & ex silentio percipitur quid sit

Theodorus tragœdus.

sonus

sonus: sic meos hos mores parum gratiosos, & quasi obscuros contemplando colligere poteris, quale decus & lumen sit morum jucundorum & laudabilium. Ut igitur ad ipsum nostrum propositũ, cui jamjam finem imponemus revertamur: dicimus quòd mores festivi & jucundi sint, qui aliquem ex sensibus delectant, vel saltem neq; sensus, neq; appetitum, neq; imaginationem, eorum quibuscum vivimus, aliqua afficiunt molestia. Et de iis quidem hucusque verba fecimus.

Verùm insuper sciendum tibi est, quòd homines valde expetentes sint pulchritudinis venustæ & concinnæ: & ex adverso à rebus turpibus, monstrosis & deformibus planè abhorreant. Et quidem hoc privilegium nobis peculiare est: alia enim animantia, quid venustas aut concinnitas sit, intelligere non possunt. Quocirca hoc ipsum tanquam non commune nobis cum bestiis, sed generi nostro proprium, per se magni facere & charum habere debemus. Atque id longè magis illi, qui præ aliis hominibus intelligentes sunt tanquam ii qui ad decus pulchritudinis considerandum magis sint idonei. Et

Venustas & Charis.

quamvis

quamvis, quid pulchritudo sit, difficulter ad unguem explicari possit: ut tamen nihilominus notam aliquam ejus quod illa est, habeas, scire te, volo, quòd ibi ubi mensura conveniens est partium inter se, & inter partes & totum, ibidem sit pulchritudo, eamque rem, in qua symmetria ista deprehenditur, verè pulchram possumus appellare. Atque ideo, quod aliàs ex viro quodam docto & rerum multarum scientia conspicuo didici, pulchritudo, ut plurimum unum quidpiam esse solet: deformitas autem ex adverso multa complectitur: sicuti id in facie bellarum & venustarum juvencularum potes animadvertere: in ea enim omnia sic sunt formata & disposita, ut ad illam unam solummodo faciem constituendam creata esse videantur: id quod in deformibus contingit nequaquam. Si enim quæpiam fortè oculos habeat grandes & emissitios, nasum exiguum, malas inflatas, os intortum, mentum prominens, cutem fuscam: ea videtur, non unius alicujus fœminæ faciem habere, sed eam per partes ex multis faciebus compositam. Reperias quoque nonnullas, quarum singula membra se-

Qui pulchritudo.

orsim

orsim considerata, sunt pulcherrima: sed omnia simul inter se collata invenusta sunt & deformia: non aliam ob caussam, quam quòd partes illæ seorsim pulchræ, non unius illius, sed plurimarum sunt fœminarum, formâ præstantium: ita quidem ut hoc ab una, illud ab altera mutuo accepisse videantur. Et fortè pictor ille, cùm puellas Calabras nudas sibi contemplatus, nihil aliud fecit, quàm ut membra corporis speciosi considerare in multis, quarum illa hoc, illa alterum ab una quapiam perfectæ pulchritudinis muliere commodato accepisset. Si enim effecisset, ut unaquæque suum, quod acceperat, membrum restitueret, & ipse omnia illa unum in corpus collata, denuo concinnè inter se coagmentaret: talem & sic unitam Helenæ pulchritudinem esse debere sibi imaginabatur. Neque volo ut cogites hoc tantùm in facie & membris corporis humani evenire: imo id in sermone & actionibus eodem planè modo evenit. Ut si matronam aliquam nobilem & ornatam videres ad rivulum, in via publica supellectilem suam culinariam lavantē: etiamsi ea planè aliena esset, tamen in hoc tibi displiceret, quod

non

non unius ſolummodo, ſed plurium ef-
figiem repræſentaret. Siquidem reipſa
fœmina lauta & nobilis eſſet: opera au-
tem ipſius eſſent mulierculæ alicujus
plebeiæ & impuræ. Neq; tamen ideo à
muliere illa vel odor vel ſapor ingra-
tus, vel ſonus aut color aliquis inju-
cundus ad te perveniret, neque aliàs
appetitui tuo moleſtiam illa exhiberet:
verùm per ſe inſitus ille mos, & actio
ab hujuſmodi muliere aliena, tibi eſſet
diſplicitura. Quocirca decet, ut ab his
quoque inconditis & inconvenientibus
moribus tibi caveas, & id quidem pari
aut etiam majori cum ſtudio, quàm ab
illis, de quibus hactenus tibi dixi. Quan-
doquidem multo difficilius eſt cognitu,
quando in ſuperioribus illis quis delin-
quit, quàm quando in his: quia facili-
ores perceptu videntur eſſe actiones
ſenſuum, quàm actiones intellectus.
Sed tamen nihilominus ſatis ſæpè acci-
dere poteſt, ut id, quod ſenſibus diſ-
plicet, etiam diſpliceat intellectui,
verùm non eandem ob cauſam. Id
quod ſuprà tibi dicebam, cum demon-
ſtrarem, quòd quilibet veſtire ſe de-
beret eo modo quo in præſentia ve-
ſtiuntur alii, ne fortè eos vel re-

prehendere,

prehendere, vel corrigere velle videretur: quod ipsum non tantùm appetitui multorum hominum, qui laudis sunt cupidi, molestum est: sed etiam judicio virorum intelligentium displicet. Vestes enim seculi, quod mille annis nostro fuit prius, non conveniunt personæ hoc jam seculo viventi. Similiter molesti & ingrati aliis sunt ii, qui more agasonum & aurigarum vestiuntur, ita quidem dissolutè, ut thorax cum caligis confligere velle videatur. Usque adeo vestes illæ corporibus suis sunt inhabiles. Eundem in modum multa sunt superius enumerata, quæ fortè hîc etiam rectè repeti possent, cùm in iis modus & mensura illa non servetur, de qua in pręsentia loquimur, neque in iis tempus, locus, res & personæ ita concinnè, ut oportebat, inter se unita sint & congruant. Nam ex his quoque hominum mentes suam oblectationem, voluptatem, & jucunditatem percipiunt. Sed malui ea ibi potius inter se conjungere, & tanquam sub sensuum & appetitionum vexillum mittere, quàm intellectui eadem assignare: ut eo facilius ab omnibus cognosci possent. Aliquid enim sensu percipere

Non satis est bene quid facere, nisi etiam fiat venuste.

cipere, aut appetere, unusquisq; potest: rectè autem intelligere universalia, & id maximè, quod jam pulchritudinem, jam concinnitatem, jam venustatem vocamus, non est cujusvis. Quamobrē nobis non satis esse debet, ut aliquid bene faciamus: verùm in hoc etiam incumbere debemus, ut id fiat venustè. Venustas verò nihil aliud est, quàm quædam quasi lux, quæ ex rerum bene compositarum, & concinnè, ratione totius, partium inter se distributarum congruentiâ effulget: sine qua quidem symmetria bonum quoque non est bellum: & ipsa pulchritudo non est venusta & gratiosa. Et quemadmodum opsonia quantumvis bona & salutifera, invitatis placitura non essēt, si saporem aut nullum haberent, aut vitiosum: ita nonnunquam hominum quoq; mores, etiamsi per se nulli noceant, nihilominus inepti sunt & acerbi: nisi quis unà cum iis dulcedinem illam addiscat, quæ sicuti credo, gratia & venustas appellatur. Quocirca quodlibet vitium propter se, & nullam aliam ob causam displicere nobis debet: sunt enim vitia res usque adeo indecoræ & inconvenientes, ut animi moderati

&

& sibi constantes ex eorum dedecore molestiam & tædium persentiscant. Quapropter eum qui in conversatione cum aliis amabilis esse cupit, ante omnia decet fugere vitia, & ea maximè, quæ præ aliis sunt turpissima, qualia sunt luxuria, avaritia, crudelitas, & alia his similia: quorum quædam plane abjecta sunt & vilia, sicuti gula & ebrietas: quædam spurca, ut esse libidinosum: quædam scelesta, ut esse homicidam, & ita de cæteris: quorum unumquodq; per se & proprietate sua aliis exosum est, alterum quidem magis, alterum minus. Sed omnia in universum, tanquam res turpes & illicitæ, hominem in societate vitæ communis reddunt inamabilem: id quod etiam suprà tibi demonstravi. Sed quia hoc tempore non de flagitiis, sed tantùm de erratis hominum te erudire constitui, nequaquam in præsentia debeo laborare, ut de natura vitiorum & virtutum disputem: sed solummodo de moribus concinnis & inconcinnis, quibus inter nos mutuò utimur. Inter autem modos istos inconcinnos non postremus fuit ille comitis Richardi, cujus suprà facta est mentio, quem ipsum tanquam

quam deformem, & reliquis illius bellis & concinnis moribus dissonum, eximius ille Episcopus, sicuti musicus excellens symphoniam discordem, quam primum animadvertit. Decet igitur hominem moratum concinnitatis hujus, quam dixi, rationem habere, in incedendo, in stando, in sedendo, in actionibus, in cultu, in vestitu, in sermone, in silentio, in otio & negotio. Neq; enim vir mulieris instar comere & exornare se debet, ne aliud sit ornatus, aliud persona, quod quibusdam in locis faciunt nonnulli, qui habent capillitium & barbam ita in annulos crispatā ferro candenti: & faciem, collum, manus, ita prætermodum cerussatas & fricatas, ut id quamcunq; muliérculam dedeceret: imo meretricem quoq; quę mercimonium suum quam primum properat extrudere, & quàm maximo potest pretio vendere. Curandum quoq; est, ne vel benè vel malè oleas: hominis enim honesti est, nec fœtere instar hirci, nec pastillos olere instar mulieris aut meretricis. Neq; tamē ętatem tuam dedecere puto, si aliquando aquis odoriferis, & simplicibus pro tempore aspergare. Vestes tuas, consu-

Decorum in vestitu.

etudin

etudini aliorum tua ætate viventium, & conditioni tuæ accommodatas esse decet, ob causas superius tibi dictas. Non enim in nostra potestate situm est, communes consuetudines nostro arbitrio mutare, quæ sicuti à tempore proveniunt, ita ab eodem consumuntur. Interim tamen usum communem quilibet pro re nata sibi poterit accommodare. Ut si fortè crura habeas quàm cæteri longiora, vestes autem curtæ in usu sint: curare poteris, ut tua vestis inter reliquas non brevissima sit, sed minùs brevis. Aut si fortè suras quis habeat vel graciles nimis, vel carnosas, vel etiam tibias distortas, is caligas sibi conficiet, non flammei, aut nimis conspicui coloris, ne alios ad admirationem sui defectus invitet. Nulla tuarũ vestium aut nimis splendida esse debet, aut prȩter modum fimbriata, ne fortè aut caligis Ganymedis, aut chlamide Cupidinis indutus esse dicaris. Verùm qualiscunq; vestis tua sit, debebit ea cũ decoro, corpori tuo accõmodata & habilis esse, ne alterius fortè vestibus commodatò acceptis indutus esse videaris, & ante omnia conditioni tuȩ respondere, ne scholasticus aliquis more

militis,

militis, aut miles instar scurræ amictus sit. Cùm Castrucius quidam dux Lucensis & Pistoriensis, comes Palatinus, Senator Romanus & Præfectus prætorio, unà cum Cæsare Ludovico Bavaro, magna cum gloria & honore suo Romæ versaretur, suumq; splendorem & magnificentiam aliis quoque testatam facere cuperet: vestem holosericam murice ardentem fieri sibi curavit, in cujus parte anteriore aureis literis hoc symbolum esset intextum, UT DEUS VULT ITA EST: & à tergo alterum hoc similibus litteris, ET UT DEUS VULT, ITA ERIT. Quod quidem amiculum, sicuti ego ipsum intelligere hoc puto, magis tubicinem Castrucij, quàm ipsum Castrucium decuisset. Et quantumvis Reges omni lege soluti videantur, tamen non omnino ausim hac in parte laudare regem Manfredum, qui viridi semper vestitu utebatur. In hoc igitur incumbere debemus, ut vestes non solùm corpori, verùm conditioni quoque gerentis, & regioni insuper, in qua vivimus, sint accommodatæ. Sicuti enim aliis in locis aliæ sunt mensuræ & pondera, cùm tamen venditiones, emptiones & com-

Castrucii ineptia.

mercia

mercia locum habeant ubique: ita diversis in regionibus diversæ quoque sunt consuetudines, quibus omni in loco quilibet uti & prudenter se iis accommodare potest. Plumæ quibus nobilium Neapolitanorum & Hispanorum capita diffluunt, eorúmq; ceremoniæ, solennitates & vestes acu pictę, malè conveniunt habitui hominum gravium in civitatibus, aut scholis, multo minus gladii & loricæ locum apud hos habebunt. Sicuti etiam id quod Veronæ fortè hac in parte consentaneum esset, dedeceret planè Venetiis. Isti enim prætextati, plumigeri, & armati non congruerent illi Venetorum urbiusq; adeo venerandæ, pacificæ, & moderatæ. Imo videntur illi velut urticæ & lappæ esse, in hortulo floribus & herbis lectissimis consito. Proinde parũ quoq; accepti sunt in consessu virorum nobiliũ, cùm alterius quasi formæ esse videantur. Vir quoq; honestus in via non curret, aut nimium properabit: id enim non viri alicujus primarii est, sed cursoris: prętereaquã qd inter currendũ quis defatigatur, sudat & anhelat, quę omnia talẽ personã dedecẽt. Neq; tamen iccirco incessus ita lentus & testudineus esse debet, neq; *Incessus.*

etiam

etiam ita insolens & affectatus, qualis est fœminæ alicujus primariæ, aut sponsæ. Vacillare quoque inter eundum, & passibus amplis seipsum quasi dilatare, ineptum est. Neque manus pendulæ esse debent, neque brachia in hanc vel illam partem jactari, aut projici, ut fruges serenti similis esse videare. Neque oculis in alterius faciem defixis, tanquam admirabundus, eum intuebere. Sunt quoque nonnulli, qui dum incedunt, instar equi pavidi, ita altè pedes attollunt, ut eos ex medimno educere videantur. Nonnulli pedem terræ ita fortiter, eoque cum sonitu impingunt, ut plaustrorum strepitus vix major esse possit. Hic pedes in obliquum impellendo quodammodo calcitrat, ille tibias inter se collidit. Alius ad unamquemque passum caligas attracturus se inclinat. Sunt quoque qui motu clunium indecoro incessum fractum, & quasi anatinum præ se ferunt. Quæ omnia non tanquam valde, sed tanquam paullulum inconcinna, displicere solent. Quòd si equus tibi esset, habens os patulum, è quo lingua illi propenderet, etiamsi id fortè de bonitate illius nihil detraheret, tamen aliàs

pluris

pluris æstimaretur, & tu hoc ipso nomine multo minoris eum vendituruss esses: non quod propterea minus animosus & fortis esset, sed quod minùs elegans & venustus. Si igitur in animantibus quoque, imo etiam rebus animo & sensu destitutis elegantia & venustas in pretio sunt, (sicuti videmus duas sæpe domos æquè bene ædificatas & instructas esse, quarum una tamen altera vendibilior, & majoris pretii est, cùm symmetriam habeat convenientem, quam non habet altera) quanto magis inter homines eæ usurpari & magni fieri debent. Incivile inter accumbendum est, partem aliquam corporis quamcunque scabere, quin etiam eodem tempore, quantum fieri potest, non est exspuendum: aut si omnino faciendum id sit fiat decenti quodam modo. Audivi ego aliquoties olim gentes quasdam adeo sobrias, eaque corporis siccitate ob crebra exercitia fuisse, ut nunquam omnino vel spuerent, vel emungerentur. Cur igitur nos tam brevi temporis spatio sputum continere non possimus? Cavendum quoque est, ne cum quadam vorandi ingluvie ita avidè cibos ingeramus, ut ex eo vel singultus, vel

Spuere & emungi.

Ingluvies.

vel aliud quispiam visu & auditu indecorum oriatur. Sicuti ij faciunt, qui inter epulandum ita properant, ut flatu & anhelitu suo omnibus qui adsunt, molesti esse cogantur. Similiter indecens est, mappa vel linteolo dentes fricare, vel etiam idipsum digitis conari, admodum enim hoc deforme est. In præsentia quoq; aliorum, os eluere, aut vinum quod id feceris exspuere, indecorum est. Mensis quoque sublatis dentiscalpium ori insertum, instar aviculæ nidum construentis, circumferre, aut idipsum supra aurem tonsorum more reponere, parum honesta consuetudo est. Sine dubio quoque ij errant, qui dentiscalpium ex collo pendulum circumferunt. Nam præterquam quòd visu indecorum est, hominem honestum tale quid è sinu producere, & circumforanei alicujus circulatoris imaginem repræsentare: etiam hoc sequitur inconveniens, quòd, qui hoc facit, eo ipso indicat, se à suppellectile gulæ & ventri inserviente, admodum esse instructum. Neq; quidquam obstare video, cur non iidem aliàs cochlear collo alligatum ostentent. Brachiis quoque in mensam procumbere, aut

Dentiscalpium.

ambas buccas ita cibo implere, ut malæ intumescant, planè non convenit. Nullo quoque signo aut gestu indicandum est, quòd ex edulio aut vino quopiam magnam ceperis voluptatem, mos enim iste cauponibus & parasitis est relinquendus. Eos qui tecum mensæ assident, ad comedendum his vel aliis verbis invitare, *Anne hodie tibi ipsi jejunium indixisti?* aut, *Fortè nihil appositum est quod tibi placeat*: item, Quæso hoc vel illud gusta: ita inquam invitare, parum mihi laudabilis consuetudo videtur esse, etiamsi ea plerisque omnibus familiaris jam sit & domestica. Quamvis enim invitatores isti, eum, quem invitant, curæ sibi esse ostendunt, tamen non raro efficiunt, ut invitatus hoc modo postea in convivio minùs liber sit, & pudore suffundatur, cùm se quodammodo observari arbitretur. Ex patina in medium apposita aliquid alteri comedendum porrigere, non puto admodum decere, nisi forte is qui porrigit, præ altero multo majoris sit dignitatis, ita ut is qui accipit, eadem opera honore afficiatur. Nam si inter æquales hoc fiat, videtur is qui porrigit alteri quodammodo se præponere, aliquando etiam id quod

porrigitur, alterius palato non conve
nit. Præterquam quòd ille ipse indi
cet, convivium non satis liberaliter esse
instructum, aut certè patellas ordine
præpostero collocatas, cùm alter abun
det, alter egeat. Fieri etiam posset, ut
convivator in malam id partem accipe
ret. Nihilominus tamen hîc, id quod vul
go fieri videmus, faciendum est potius
quàm id quod bene fieri existimatur.
Satius enim est in hoc genere consue
tudinum cum aliis errare, quàm solum
rectè facere. Verum quidquid in hoc
vel deceat vel non deceat: tu tamen id
quod tibi porrigitur, non recusabis: vi
deris enim eum qui porrigit, vel asper
nari, vel reprehendere. Aliis autem
propinare, & majoribus poculis invi
tos molestare, per se execrabilis con
suetudo est, quæ tamen ita invaluit, ut
nullo unquam tempore aboleri posse
videatur. Ab ea igitur tu, tanquam
adolescens ingenuus, libens tibi tem
perabis. Quòd si tamen ab aliis invi
teris, poteris non omnino repugnare,
sed gratias agere, & dicere, te libenter
illi victoriam concedere, aut etiam sine
haustu largiori, leviter quod datum est
degustare. Est equidem ista propi

nan

nandi consuetudo satis antiqua, & olim etiam in ipsa Græcia usurpata. Magnopere enim ab illis laudatur Socrates qui integram, quum longa fuit, noctem, cum Aristophane certatim quoque compotando consumpsit, & tamen primo statim diluculo, albescente cœlo demonstrationem subtilis cujusdam problematis Geometrici, sine ulla hæsitatione, delineavit, & demonstravit, ut satis doceret, vinum nullam adhuc noxam sibi attulisse. Et etiamsi præter hæc affirment: quòd sicuti ij, qui sæpe in magno discrimine & periculo vitæ versantur, eo ipso fiunt animosiores & magis intrepidi: quod inquam, eodem modo, ij qui se non sine aliquo periculo mendosis istis & barbaris moribus aliquantisper dedunt, eorumque turpitudinem perspiciunt, inde postea modestiores & in moribus elegantiores evadant, & quia immodica illa, certatim bibentium, vini ingurgitatio, acer quidam cum viribus potantis conflictus est. volunt id fieri, ut hoc modo fortitudinem nostram expleremus, & ad sustinendum, vincendumque impetus quosdam violentiores nos assuefaciamus. Etiamsi, inquam

quam, ita hæc illi disputent: nihilominus tamen ego in contraria sum sententia, & existimo has ipsorum rationes satis esse frivolas. Præterquam quod nonnullos ex literatis reperias, qui sæpenumero verborum quadam magnificentia efficiunt, ut causa iniqua vincat, ratio autem succumbat. Quocirca hac quoque in parte fidem illis non habemus. Et fieri fortè potest, ut illi hoc modo populares suos, eo vitio imbutos, excusare, eorumque hoc peccatum occultare voluerint, cum id ipsum reprehendere periculosum illis videretur. Fortè etiam metuebant ne idem quod antea Socrati acciderat, ipsis quoque eveniret. Ille enim cum in aliorum reprehensione creber esset, inventi sunt, qui eum ex odio impietatis, graviúmque quorundam flagitiorum insimularent: quocirca etiam capitali sententia, licet innocens condemnatus est. Vir enim verè bonus & patriæ religionis observantissimus fuerat: tametsi eo nomine, quod tantum vini una illa nocte biberit, nullam laudem sit meritus, cupa enim aliqua multo vini capacior fuisset. Et quod nihil inde incommodi perceperit, in causa est potius cerebri bene consti-
tuti

tuti firmitas, quàm hominis bene morati continentia. Ii certè apud quos planè exulat ebrietas, habent, pro quo, tanquam summo bono, immortales Deo gratias agant. Neque ego unquam credidero, quòd à vino & ebrietate, egregiis sane magistris, disci debeat temperantia. Non est œconomi suo arbitrio ad cœnam herilem extraneos invitare, nemo etiam domino inscio & invito calidè cum aliis accumbet: etiamsi quidam ex familia sæpenumero ita sint impudentes, ut id, quod domini est, ipsi facere non erubescant. Sed hæc magis casu quodam fortuito dicta à nobis sunt, quàm quòd ratio ordinis nostri tale quid postularet. Nemo vestes suas, & in primis caligas, palàm, hoc est, in præsentia honestorum hominum, exuere debet: id enim illi loco nequaquam convenit, facilè enim accidere posset, ut partes aliquæ corporis, quas natura tegi voluit, cum retegentis & videntis pudore nudarentur. Neque etiam capillitium pecti, aut manus lavari in aliorum conspectu debent: hoc enim rectius fit in cubiculo, quàm palàm, sola illa lotione excepta, quæ prandium aut cœnam præcedit. Tum enim etiamsi for-

Manus lavare.

tè opus tibi non sit, palàm lavandæ sunt manus, ut is qui tecum in eandem patellam intingit, de lotione tua certus sit. Neque etiam cum capitis integumento nocturno in aliorum conspectum prodibis: neque caligas thoraci, aliis videntibus, astringes. Aliis quibusdam moris est, subinde os diducere, oculos invertere, buccas inflare, anhelare: & aliis modis inconcinnis faciem deformare, quos omnino decet ab hac consuetudine penitus abstinere. Nam etiam Pallas, ut Poetæ fabulantur, aliquando fistula canendo se oblectabat, eoque in genere ad excellentiam non vulgarem pervenerat. Cùm autem isti oblectationi intenta, ad fontem accessisset, seque in eo contemplata esset, & inusitatam illam monstrosamque oris sui habitudinem animadvertisset, erubuit, atque è vestigio tibiam abjecit: & quidem rectè, neque enim instrumentum hoc est fœminæ congruens, imo ne viris quidem, nisi fortè viles sint & nihili, qui mercedis gratia artem illam, quam profitentur, exercent. Quod autem de invenusta hac faciei habitudine dico, id ipsum in omnibus totius corporis membris locum habet. Indecorum enim est linguam

Pallas fistulam abjecit.

linguam exſerere, barbam ſubinde, quod multi faciunt, intorquere, manus inter ſe conterere & fricare, peculiari quadam cum ejulatione ſuſpiria mittere, febricitantium inſtar, quod non pauci faciunt, temere, totoque quaſi corpore cohorreſcere, aut etiam inter pandiculandum, more ruſtici in fœnili evigilantis, exclamare. Is quoque qui in ſignum admirationis, aut etiam ludibrii, ore certum quendam ſtrepitum edit, deformitatis cujuſdam, quod ipſe animadvertis, indicium præbet. Ea autem, quæ indiciis hujuſmodi adumbrantur, parùm à re ipſa differunt. A cachinnis quoque fatuis, agreſtibus & inſulſis eſt abſtinendum. Neque ridebis potius quòd ridere conſueveris, quàm ob ridendi neceſſitatem. Neque propter jocos aut dicteria à te ſparſa tu ipſe ridebis: videreris enim tum te ipſum laudare. Auſcultantis enim, non dicentis eſt ridere. Nolo etiam ut tibi perſuadeas, quòd ſicuti eorum, quæ hactenus dicta ſunt ſingula minuto quodam cum errore ſunt conjuncta: ita etiam univerſis leve quoddam peccatum inſit. Hic enim ex levibus & multis erratis, magnum quoddam, ut initio quoque dixi, eſt compoſitum, *Riſus.*

tum. Et quanto ista sunt minora, tanto accuratiore in iis cavendis nobis opus est intentione. Neque enim ita facilis eorum est animadversio. Et si negligantur, in consuetudinem, etiam ex improviso, transeunt. Sicuti autem minutæ quoque expensæ, si crebræ sint, magnam quoque substantiam occultè consumunt: ita etiam levicula hæc delicta, si numerosa sint, quasi ex occulto egregium quasi hominem deformant. Proinde quæ diximus, nequaquam cum risu sunt flocci facienda. Observandum quoque est, quibus quis gestibus, quo motu corporis utatur, maximè in loquendo, Sæpe enim fit, ut quis ita in id quod loquitur intentus sit, ut ejus, de quo jam agimus, rationem planè non habeat. Hic enim capite veluti titubat: ille oculis alios intuetur limis, altero ad frontem sublato, altero ad mentum depresso supercilio. Alter os distorquet. Alii sputo suo faciē eorum, quibuscum fabulantur, aspergunt. Invenias quoque qui ita manus inter loquendum agitent, ut muscas à te depulsuri videantur: qui omnes modi sunt deformes & ingrati. Pindarus quidem Poeta eximius dicere solebat, quidquid dulce, delectabile &

Gestus inter loquendum.

scitum

ſcitum eſſet, id manibus Veneris & Gratiarum eſſe confectum. Quid jam de iis dicam, qui ex tablino ſuo ad alios prodeunt, calamo ſupra aurem prominulo, aut qui linteolum ſuum dentibus comprehenſum circumferunt: aut qui tibiarum alteram in menſam imponunt: aut qui proprios digitos conſpuunt: item de aliis, qui numerari non poſſunt, ineptiis? Quæ infinitæ cum ſint, ne ego quidem eas omnes colligere & hic recenſere conabor: cum alias forte non pauci ſint futuri, qui dicant me in his ipſis, quæ enumeravi, nimium fuiſſe. *Venus & Charites.*

FINIS.




Ethica Iuvenilis,

Seu

Manuductorium ad laudabilem morum concinnitatem, in quotidianâ cum aliis consuetudine, juventuti urbaniùs conformandæ apprimè utile.

EN! *habes (amice Lector) Galatæum annis aliquot penè demortuum, jam (tantum valent typi) nuperrimè renatum, qui (si quis alius) juvenes præstabit urbanos, humanos. Fædos dedocebit ille gestûs solœcismos, omnimodam morum barbariem; os, manus, oculos, totum hominem ad elegantiam componet. Hunc tam urbanum, concinnum, ne morosiùs excipias, sed candidè tractes, (qualiter ipsum decet) humanè; & labore nostro (si quid fructûs inde tibi accrescat) fruere; & vale.*

G. W.



PROEMIUM
DE DEFINITIONE & DIVISIONE *ETHICES.*



THICA est habitus mentis activus hominem informans virtutibus (*vel bonis moribus,*) secundum rectæ rationis normam, ad consequendam civilem felicitatem.

Definitum Græcis à moribus nomen accepit, unde & Latinis Philosophia moralis, pars nempe Philosophiæ practicæ sive civilis communior, cujus principia tradit & fundamenta, atque in genere viri boni, cujuscunque vitæ generis aut statûs sit, describit officium: reliquæ verò duæ philosophiæ practicæ partes specialiores sunt. Politica enim Rempub. *Oeconomica domum & familiam gubernat.*

Definitio causis constat omnibus. Eam tamen ἀκρίβειαν *in practicæ Philosophiæ tractatione non reperies quam ostentant disciplinæ Theoreticæ. Ideo respectu certitudinis demonstrativæ, atque etiam objecti, theorica Philosophia est præstantior; Practica verò præstantior est respectu usus in vita communi.*

Genus (quo forma Ethicæ insinuatur) est habitus mentis activus, *vel* prudentia, *quæ Aristoteli* est habitus cum recta ratione activus, *in iis laborans quæ virtutes attinent*

& vitia, quæque in consultationem cadunt. Est enim disciplina operatrix, non autem ποιητικὴ *seu factiva, ars dictam ob causas in Enchiridio Logico de genere Logicæ adductas. Ergò* πρακτικὴ *seu activa. Quod si formam Ethicæ cum nonnullis in methodo quæras; est hæc analytica, progrediens à fine vel finis notione ad media eo ducentia: nam in operatricibus disciplinis ultimum in cognitione est primum in opere, & vice versa. Vide Enchir. Log. part. prop. c. 8. de methodo, & Institutiones Logicos lib. 1. qu. 162. & seq.*

Materia in qua, seu subjectum operationis est homo quatenus beabilis *(uti loquuntur) vel beari potest summo bono civili; & ut liberè agit, benisque moribus excoli potest. Specialius hoc subjectum aggrediuntur alii, dum appetitum vel voluntatem informandam inculcant: nos voluntatem ponimus, ut infra docebitur.*

Materia circa quam, *seu objectum sunt* actiones humanæ liberæ ordinatæ in finem, *hoc est quatenus per eas viri probi reddimur. Intellige actiones voluntarias, quæ fieri possunt, hoc vel alio modo, his vel aliis circumstantiis, &c. Hinc inscriptio hujus disciplinæ est de moribus,* Mores *autem* sunt humanæ actiones certo modo formatæ.

Efficiens est norma rectæ rationis. *Hinc differt Ethica à Theologia informante quidem hominem, ejusque actiones, at non secundum nostræ rationis tenorem, sed legum divinarum præscriptum. Ethica itaque addiscenda, non ut per eam Christianus, sed Philosophus evadas: quamvis & Theologo futuro sit utilissima, ut in virtutum definitionibus & divisionibus, &c. Interim differunt virtutes Ethicæ & Christianæ. 1. Subjecto. Hæ non sunt nisi in piis & regeneratis; Illæ in omnibus esse possunt, etiam Ethnicis. 2. Modo acquirendi. Hæ à Deo infunduntur modo supernaturali & gratuito: illæ crebris exercitiis generantur, ut alii naturales habitus. 3. Fine. Illarum est magis in externa disciplina situs: harum internus, gloria Dei & interna cordis erga Deum obedientia.*

Finis Ethicæ internus est hominem *bonis moribus seu virtutibus* informare. *Externus est felicitas seu beatitudo politica, id est,* summum bonum civile.

Dividitur Ethica in partem communem & propriam.

Pars communis, *seu generalis* est quæ de *fine Ethicæ,*

summo

summo hominis bono videl. agit: εὐδαιμονολογία illa pars nonnullis dicitur. Nos verò in parte communi de omnibus quatuor causis virtutum agemus. 1. *De fine videlicet summo bono civili*. 2. *De efficiente, actionibus humanis, & principiis*. 3. *De materia vel objecto, virtutum nimirum affectibus*. 4. *De forma virtutis, adeoque de iis quæ definitionem & divisionem virtutis genericè consideratæ attinet*.

Pars propria de virtutibus ordine agit, *ideò* ἀρετολογία *dicta*.

Quam universam doctrinam Ethicam nemo accuratiùs ex veteribus conscriptam nobis reliquit, quàm mundi miraculum illud, Aristoteles operibus pluribus, quæ recenset Laertius; quorum tamen non nisi quatuor ad nos pervenêre: De virtutibus Libellus, magnorum moralium libri 2. Ethicorum Eudemiorum 7. & Nicomachiorum 10. Atque hi postremi absolutiores sunt.



PARTIS COMMVNIS
CAPVT PRIMUM.

De summo bono civili, seu beatitudine politic

ELICITAS *seu beatitudo civilis,* est *o-ratio animæ rationalis secundum virtutem op-mam & perfectissimam in vita perfecta.*

Dari aliquem ultimum actionum hu-narum finem, hoc est, summum bonum (nis enim habet rationem boni, & vice versâ cum n appetimus nisi bonum, vel verum, vel apparens) pat cum processus causarum itemque humani appetitus lias daretur in infinitum.

Definitum est *felicitas* vel beatitudo, quæ etiam su-mum bonum dicitur: & hic inquiritur politicum; n Theologicum, quod est ipse Deus.

Genus est *operatio* vel actio (ad quam homo creat non ad otium,) sed non quævis, ut non vegetantis sentientis *animæ*, sed *rationalis* homini propriæ (inc pit differentia defini ionis) unde dependet principal ter, cum alias ad totum hominem beatitudo pertineat.

Dicitur *secundum virtutem* (intellige omnes virtut vel quamcunque in summo gradu constitutam) *optim & perfectissimam*; quia felicitas, cujus fundamentum vir tus, actio est optima & perfectissima.

Dicitur *vita perfecta*, quæ requirit 1. ætatis matu ræ judicium confirmatum, quod in pueris non est 2. Temporis diuturnitatem; nam una actio non effic hominem bonum & beatum, sed multæ aliquot anno rum cum virtutis habitu.

Summum ergò bonum vel felicitas, cùm sit aliquid ho minis, *consistit in actione virtutis* ex habitu promanant quia 1. illa soli homini competit. 2. Est stabilis & per manens. 3. Propter se expetitur. Dicuntur autem be ati qui faciunt secundum virtutem quoties opus est & commodè fieri potest (neque enim liberalis est, qu

ubiqu

ubique pecuniam erogat, nec fortis qui semper gladium stringit) nec quiescit vir bonus ignaviæ causa, sed ut alacrius ad officium redeat. Imo virtute utitur aut erga seipsum, aut erga alios.

Non itaque summum bonum est *voluptas* impura & inhonesta, ut volunt Epicuri de grege porci: (animi namque voluptatem ex virtutum actione prodientem, tanquam signum beatitudinis subsequens, ut habet Philosophus, admittimus) Est enim 1. Belluis communis. 2. Non diuturna. 3. Corrumpit potius hominem quam perficit. 4. Inde nemo denominatur bonus, nedum summè bonus.

Nec *honor*. Hic enim 1. non propter se, sed propter virtutem expetitur. 2. Est in honorantis tanquam agentis potestate, opinione & voluntate; à qua cum dependeat, inconstans est.

Nec *divitiæ*: quia 1. non propter se, sed usum expetuntur. 2. Malè iis uti possumus. 3. Sunt damnosæ, periculosæ, inconstantes, nonnunquam malè partæ, ob id Aristoteli violentæ dictæ.

Nec *contemplatio* communis *ideæ* omnium bonorum: etenim practicum quærimus bonum.

Adjuncta vel accidentia *summi boni* faciunt non ad essentiam, sed existentiam, splendorem & ornatum; ita ut sublata felicitatem labefactent, non tollant; faciuntque ad felicitatem non ut est actio immanens, ad habentem relata, sed ut est transiens, requirens externa bona ceu organa, quibus virtutum actiones commodius exerceat, Vt sunt corporis sanitas, robur, arma, (quæ requiruntur ad actiones fortitudinis) opes (ad liberalitatis) quæ nervi sunt rerum gerendarum; Amici, honesti nempe, quibus cum conversandum, & sine quibus virtutis usus non est illustris.

Concomitantia sunt: Bona fama, seu honesta aliorum de nobis propter virtutem opinio: Bona conscientia, hoc est, jucundus & pacatus animi status, quæ rectè facta comitatur.

CAP.

CAPUT II.

DE VOLUPTATE.

Ethici omnino est agere de voluptate, hocque præsertim in loco. Nam 1. Voluptas est in numero bonorum, quem finem Ethicus considerat. 2. Ethicorum maximæ semper fuerunt de voluptate controversiæ. 3. Cum summo bono voluptas conjuncta est, tanquam signum, accidens inseparabile & finis ulterior perfectæ operationis. Hinc Aristoteli.

Voluptas est perfectæ operationis subsequens signum. Vel signum perfectionis operationum benè administratarum ab animalibus potentia objectum aliquod optimum benè & proportionaliter percipiente.

Atque ita generalius definitur voluptas, ut non soli homini sed animalibus etiam aliis competat. Specialior redditur; operationis & potentiæ ad animam rationalem restrictione.

Genus voluptatis rectè Aristoteles negat esse motum; hic enim imperfectus est, voluptas autem ex actione virtutum proveniens perfecta. Est modus potius operationis, vel cum Aristotele, *signum perfectæ operationis*, sicut corporis venustas est signum sanitatis & florentis ætatis; aliquando latius Philosopho ipsa operatio.

Efficiens est objectum aliquod conveniens, inque suo genere optimum, &c. Sensus tantum, ut in brutis, vel intellectus, ut in homine; unde voluptas vel est corporis, vel animi. E contra doloris causa est objectum improportionatum, inconveniens vel dissentaneum, ut videre est in Exercitat. nostris Philos. & Medicis, Exerc. 8. Problem. 3.

Subjectum voluptatis in genere est animal, in specie voluptatis animi est *homo*.

Finis & boni rationem quodammodo obtinet voluptas; est enim affectio quasi quædam summi boni inseparabilis; neque enim vivit vir bonus & felix absque voluptate. Unde Philosophi omnes vitam beatam jucundam censent. Non ergò omnis voluptas mala.

Dividitur voluptas 1. *Vt* alia sit *animi*, alia *corporis*. Illa animum: hæc corpus afficit & sensus nostros, satisfaciens

faciens naturæ necessitati vel in conversatione individui, ut in cibo & poto; vel speciei, ut in venere &c. *Est* autem voluptas corporis, vel ex visu, vel auditu, olfactu, gustu, vel tactu.

2. Aliæ sunt *communes*; ut homini & brutis ex cibo, potu, &c. Aliæ *propriæ*, ut uni animalium generi, vel certis individuis humanis. Hinc trahit sua quemque voluptas. Et alii aliis delectantur.

Sunt autem *animi voluptates præstantiores quàm corporis.* 1. Ob subjectum præstantius. 2. Quia diuturniores. 3. Nunquam habent adjunctum dolorem. 4. Non possunt in excessu peccare, uti nec virtus. Plerique tamen magis expetunt corporis voluptates; Nam 1. hæ pluribus notæ. 2. Et nobiscum quasi enutritæ, atque ab utero susceptæ: 3. Magis afficiunt sensus; plerique verò sensibus grata sectantur. 4. Sine iis speciei aut individui non est conservatio. Atque si moderatus earum usus est, prout recta præscribit ratio, non sunt simpliciter malæ. Oppositum verò, dolores videlicet sunt mali & molesti, saltem quatenus homines ab honestis actionibus abstrahunt.

CAPUT. III.

De actionibus humanis earumque requisitis & principiis.

HActenus de fine virtutum ejusq; signo. *Efficientes causæ virtutum* moralium *sunt actiones humanæ* voluntariæ crebræ, ut infrà docebitur, quæ à voluntate proficiscuntur tanquam primo principio, & virtutis præcedunt habitum; quæ verò eundem sequuntur, oriuntur immediatè ab habitu, hoc est, voluntate habitu præditâ; mediatè verò à voluntate. Interim ejusdem speciei sunt actiones habitum virtutis præcedentes & sequentes, cum differant tantum secundum perfectum & imperfectum, & conveniant in fine (bono honesto) extremis (excessu & defectu) objecto & recta ratione,

Adjuncta verò actionum humanarum in genere quinque sunt Philosopho in Ethicis: *Spontaneum*, *invitum*, *voluntas*, *consultatio*, *electio*. Sic distinctius.

Actio alia *est voluntaria*, alia *invita*.

Voluntaria *est*, *quando principium actionis est in ipso Agente*

agente singulas actionis circumstantias sciente. *Ejus* tria *requisita* sunt: *voluntas*, *consultatio*, *electio*, quibus includuntur alia. Voluntas præsupponit rei cognitionem, & ne bonum fucatum pro vero appetat, deliberatione opus est: quâ factâ, cum certi aliquid concluditur Decretum (quod in consultatione includitur) *Electionem* verò, hoc est, quando voluntas sibi certi quid propoluit agendum, sequitur ipsa actio.

Spontaneum differt à voluntario, ut generale à speciali. Hoc enim soli homini; illud brutis tribuitur, imo & plantis & inanimatis etiam à Poëtis & Oratoribus.

Requisita enumerata nonnulli principia *actionum humanarum* (ex quibus virtus creetur) salutant. Sed sufficit unum *principium proximum & principale*, nimirum libera in agendo voluntas, vel *liberum arbitrium* (hoc mentis normam, ad quod se conformat, supponit) humanæ enim actiones dicuntur, non nisi quæ in hominis libera sunt potestate.

Actio invita est cujus principium aliunde provenit. Estque violenta vel imprudens. Violenta est, cujus causa externa est & potens. Estq; *vel absolutè* violenta, *vel* secundum quid, ut sit quasi *mixtum* & media inter voluntariam & invitam, quando nimirum res per se mala eligenda non videtur, respectu tamen circumstantiarum bona & eligenda putatur; ut cum mercator naufragium metuens in mare procellosum merces tuendæ vitæ gratiâ ejicit.

Ex hac Philosophi distinctione actionis in voluntariam, invitam & mediam, discrimen constituunt inter velle, nolle, & non velle.

Imprudens est, cum agens 1, agit per ignorantiam circumstantiarum. 2. Et animo simplici fraudis expertе. 3. Post delictum cognitum ducitur pœnitentiâ. Atque actio talis meretur veniam & excusationem, cum fiat per ignorantiam. Sed sciendum hic. 1. Non idem esse *per ignorantiam agere*, & *esse ignorantem. Ille* dicitur: cum ignorantia simpliciter est causa princeps totius actionis, adeo ut nisi adesset, agens non ageret. Ut si Grœnlandus aliquis vim vini ignorans nimio potu vini Inebriaretur. Et ita agens veniâ dignus est. *Hic* quando ignorantia non est causa princeps malæ actionis, sed aliud quod ignorantiam induxit. Ut si quis ebrius committat furtum, homicidium, &c. quæ sobrius fortè non patrasset. Hæc actio non meretur excusatio-

nem

nem, cum agens ignorantiam spontè per nimium potum accersiverit.

II. *Aliam esse ignorantiam juris* seu universalem, *aliam facti* seu particularem, vel rerum singularium.

Illa est cum quis ignorat, quod jure scire debebat, ut quid justum vel injustum, eligendum vel fugiendum, quæ leges hujus vel illius loci. Hic agens excusatione haud est dignus, sed punitur ac si sciens peccasset.

Hæc (quæ veniam meretur) est cum ignorantur circumstantiæ quædam singulares facti, quæ ante actionem prævideri aut præcaveri non potuerunt; omnes vero simul ignorari, nisi agens insanus esset. Suntque Philosopho 8. Finis, rei ipsius quæ agitur, personæ, objecti, loci, temporis, instrumenti, modi agendi.

Consultatio seu deliberatio *est mediorum diligens investigatio*, per quæ in agendo ad finem propositum pervenitur.

Hujus objectum ergò non est finis, sed media ad finem ordinata, in negotiis 1. dubiis & incertis. 2. Quæ nostrâ intersunt. 3. In nostra potestate quæ sunt.

Ante consultationem vel circa principium præconcipiendus finis certus, inque consilium adhibendi viri boni, prudentes, amici.

In consultatione ipsa vel circa medium; quærenda media ad finem ducentia, videndúmque multis an paucis opus sit; An sint licita, facilia, quæ meliora: an soli rem expedire queamus, an assumendi socii: qui amici sint & fideles.

Circa finem consultationis videndum an negotium ita perfici queat, vel non. Si non: maturè desistendum. Si potest: maturè res aggrediendæ; ne periculum sit in mora. Interim & nimia festinatio fugienda, unde illud: Nec festina lentè.

Electio est appetitio præmeditata eorum quæ à nobis fieri possunt. Vel ut Aristoteles: Spontaneum prius deliberatum. Sumitur hic electio non pro cupiditate, quæ etiam brutis competit, & circa jucundum vel molestum versatur, non circa honestum vel inhonestum, utile vel inutile: nec pro quovis appetitu: ita enim & finis & media objecta sunt electionis. Hic vero electio est mediorum tantùm, non finis; instar deliberationis qua cum indissolubiliter cohæret. Hinc Aristoteli electio à voluntate distinguitur, quod illa sit mediorum, hæc finis.

Dif-

Differt à consultatione electio. 1. Subjecto: illa est magis facultatis cognoscentis; hæc appetentis. 2. Objecto. illa est rerum incertarum & dubiarum, hæc certarum, ob præcedentem consultationem. 3 Ideo tempore illa præcedit, hæc sequitur.

Voluntas est boni, vel veri, vel apparentis cum ratione appetitio. Objectum ergo est bonum;

Liberum arbitrium est modus, quo voluntas aliquid pro placito vult, vel non vult, secundum intellectus judicium.

Est ergo aliquid voluntatis (quæ intellectus judicium semper præsupponit) & jus quidem motus, cum hoc modo, nempè liberè, voluntas aliquid appetat.

Liberum hic intellige, quod in utramque partem inclinare potest; Arbitrium, pro voluntatis placito.

Esse autem voluntatem nostram liberam in externis & civilibus negotiis (de spiritualibus enim hic alienum quærere (certum est.) 1. Experientiâ. Nam possumus varia agere vel non agere. 2. Ex mundi perfectione quæ continet non tantum res necessarias, sed etiam eas quibus libertas est & contingentia. 3. Quia libertas est modus voluntatis inseparabilis, quam qui tollit, ipsam tollit voluntatem, adeoque ipsam naturam humanam. 4. Aliàs frustra essent leges, monitiones, objurgationes, preces, propositum, deliberatio, institutio, præmiorum & pœnarum distributio, &c.

CAPUT IV.

De affectibus in genere.

Hucusque de fine & efficiente virtutum. Sequitur *materia* vel *objectum virtutis* moralis, nimirum *affectus* aliquis jucundus vel tristis, quem Aristoteles per voluptatem & dolorem nonnunquam inculcat, quando circa ea virtutem occupari contendit. Quivis enim in se experitur vim magnam affectuum, horum sive appetitus cum recta ratione pugnam, ut sæpe mente & vitâ privent hominem. Itaque ad affectus moderandos & medicandos doctrina moralis præcepta tradit.

Non tamen eadem est pugna rectæ rationis & affectuum in homine cum lucta carnis & spiritus, de qua Scriptura: nam per carnem reluctantem, non tantum vis appetens intelligenda, sed ipsa etiam ratio, quæ in spiritualibus Spiritui repugnat, inimicitia est adversus

Deum,

Deum, nec sapit quæ sunt Dei, nisi domita & captivata.

Est autem affectus passio ob motum cordis à notitia objecti boni quod prosequitur, vel mali, quod fugit, excitatum.

Definitum alias perpessio vel perturbatio animi dicitur, quæ vox tamen malis affectibus magis competit. Agit autem Ethicus de affectibus practicè & virtutis gratia: Physicus speculativè, prout sunt qualitates.

Genus est passio vel patibilis qualitas. Hæ enim duæ differunt tantum secundum magis & minus. Per appetitum non definitur; quia affectus dicitur quatenus ab objecto pendet; appetitus, quatenus à facultatibus.

Subjectum remotum est animal perfectum. Proximum est *Cor*. Nam 1. Nimii affectus vitæ vim inferunt. 2. Pulsus dat signum affectus in corde latentis. 3. In appetitus conatibus & motibus, non tantum est animæ vis appetens, sed quia in consensum contrahitur, ejus adeoque corporis totius mutatio conjuncta est; ut ad bonum objectum cor spiritus extrorsum fundendo se dilatet; ad malum è contra se constringat, spiritibus intro se recipientibus.

Objectum est bonum vel malum, & utrumque vel verum vel apparens.

Causa est objecti cognitio: nam ignoti nulla cupido.

Dividuntur affectus. 1. *Alii* sunt objecti *boni*, juvantes naturam; ut Amor, desiderium, spes, lætitia. Alii *mali* destruentes naturam: ut odium, ira, metus, tristitia.

Ad hæc summa affectuum genera omnes alii affectus facilè revocari possunt, ut benevolentia, misericordia, pudor, invidia, superbia, desperatio, &c.

2. Alii sunt *simplices*, ut lætitia, tristitia, metus, &c. Alii *mixti*, ut ira ex tristitia & spe ulciscendi, ubi duplex quasi & contrarius est cordis motus: Zelotypia ex amore & ira. Ἐπιχαιρεκακία ex odio & gaudio, &c.

3. Alii sunt *lenes*, Græcis ἤθη; alii *vehementes*, Græcis πάθη.

4. Alii naturâ *boni*, ut benevolentia & misericordia. Alii naturâ *mali*, ut odium, invidia, superbia, &c. Alii *medii*, ut amor, lætitia, spes, ira, tristitia, metus, &c.

5. Alii *affectuosi* seu affectionales, alii *actuosi*. Illos vocant inclinationes vel propensiones ad motum, ut iracundiam (ad irascendum.) Hos ipsos motus excitatos: ut iram.

CAPUT. V.

De amore & desiderio, itemque de Amicitia.

A*Mor est affectus, quo animus bonum amatum sibi adunìri cupit, & unum quasi cum eo fieri.*

Differt à pietate, quæ in bruta non cadit, estque in superiores ut Deum, parentes, patriam, &c.

A dilectione: quæ non tantum est in appetitu ut amor, sed in ipsa voluntate cum electione prævia.

Ab amicitia: quæ est mutuus amor officiis confirmatis.

A charitate: quæ prædicta omnia significare potest, & addere quandam amoris perfectionem.

A desiderio: quod est appetitio boni absentis; amor verò præsentis.

Objectum & principalis causa amoris est *bonum cognitum* & similitudinem habens cum amante.

Causæ accidentales sunt. 1. Convictus & consuetudo. 2. Vestitus, cultus, apparatus, &c. 3. Philtra & veneficia, quæ turpem illicitumque amorem cient.

Vires amoris sunt potentissimæ, ut ei ceu victori omnia cedant. Cæcus dicitur effectivè; nam pulchra in re amata nimis extollit, vitia verò vel non videt, vel extenuat.

Effecta ante acquisitionem objecti & rei amatæ, in infinitis sunt mutationibus morum & corporis. Post: unio amantis & amati, ut affectu duo fiunt unum, & unum quasi dimidium alterius.

Remedia amoris turpis moralia sunt. 1. Principiis obstare. 2. Fugere occasiones. 3. Temperanter vivere. 4. Orare & laborare, &c.

Commodè hic agemus de *Amicitia*, Nam 1. Est amor & quidem mutuus. 2. Philosophus eam affectibus annumerat, & in libris prioribus Ethicis pertractat, licet ad calcem eam etiam exponat. 3. Est virtutis quidam fructus principalis & effectus præcipuus; ut vel hoc nomine in parte hac generali locum sortiatur. *Non vero ipsa virtus est* (etiamsi cognationem cum virtute habeat.) Nam 1. Amicitia non est in nostra potestate vel electione. 2. Est paucis adstricta secus quàm virtus. 3. Est in bonis externis. 4. Virtutem moralem præsupponit.

Est

Est autem *amicitia amor mutuus & conspicuus inter bonos & virtutis amantes ex honesti cognitione consurgens, ad vitæ honestæ conjunctionem perducens.*

Cum quâ definitione convenit illa Aristotelis: Amicitia est benevolentia in mutua affectione, minimè latens seu occulta.

Definitum ab amando, ut amor, dictum, Græcè φιλία. quæ vox apud Aristotelem nonnunquam pro humanitate seu comitate usurpatur; apud alios non rarò pro quovis amore.

Genus loco formæ positum est *Amor* vel benevolentia, Maximè enim ex animo æstimatur Amicitia. Reliqua loco differentiæ ponuntur. 1. *Est mutuus*; si enim esset absq; redamatione, odium reciperet, quod absurdum. 2. *Conspicuus*. 3. *Inter homines virtute præditos*. Est subjectum. *efficiens* enim & fundamentum Amicitiæ *virtus* est, absque qua nulla vera virtus. Vltima definitionis verba finalem causam continent. Excluduntur ergo ab amicitia propriè dicta, mali & improbi, bruta, res inanimatæ, &c. in quas virtus non cadit.

Adjuncta amicitiæ sunt benevolentia, concordia, beneficentia.

Causæ sunt: Natura, conversatio, convictus & consuetudo, propinquitas & cognatio: maximè vero similitudo & æqualitas, ætatis, ingenii, studiorum, morum, virtutis, &c. Circa conversationem sciendum eam in Amicitia maximè experti; locorum tamen intervalla, non simpliciter dissolvere Amicitiam, sed labefactare, habitum non tollere, sed operationem. Secundariæ sunt: utilitas, voluptas, bonorum affluentia vel indigentia, societas bonorum, rerum adversarum, &c.

Utilitates infinitæ sunt in utraque fortuna Vnde Cicero. Qui amicitiam de mundo tollit, Solem è mundo auferre videtur.

Oppositum generale est *inimicitia*, In specie *defectus* est ἀφιλία seu μισανθρωπία cujus superior gradus est odium. *Excessus* ὑπερφιλία, nimius, cæcus & perversus amor: quo refertur Addulatio seu amicitia fucata.

Dividitur amicitia. 1. Ratione objecti, quod honestum, utile vel jucundum. *Est* enim *Amicitia* vel perfecta, quæ *honesta*: vel imperfecta & per accidens (quâ amatur amicus non sui ipsius gratiâ, sed quia nobis vel utilis vel jucundus)

cundus) ut *jucunda*, quam maximè sectantur juvenes voluptatibus dediti; & *utilis*, quam senes lucro inhiantes; ad quam etiam hospitalem Amicitiam referunt.

Perfecta autem rara admodum est, ut vix pauca paria amicorum reperias in sacris & prophanis: *estque tantum inter paucos* admodum ut duos vel paulo plures, testante 1. Experientiâ. 2. Raritate bonorum hominum. 3. Negotiorum singulis incumbentium diversitate. Et quid faceres hoc amico lugente, illo gaudente?

II. Ratione subjecti, vel est *æqualitatis*, inter homines ejusdem dignitatis, ut fratres, sodales, &c. *vel inæqualitatis* seu disquiparantiæ, uti loquuntur, ut inter Patrem & Filium, Maritum & Uxorem, magistrum & subditum, &c. In hoc inæquali amicitiæ genere est æqualitas secundum proportionem Geometricam. Quo vero magis servatur in amicitia æqualitas Arithmetica, eo illa firmior. De hac proportione infra in cap. de Iustitia.

III. Ratione formæ seu communionis, *est publica vel privata*. Publica seu politica reperitur in variis rerum publicarum formis, in Basilia, Aristocratia, Democratia. Privata vel est ἑταιρικὴ inter alienos temporis successu coalescens ob similitudinem morum, ætatis, studiorum, &c vel φυσικὴ quæ I. πατρικὴ inter parentes & liberos. Est vero parentum in liberos amor intensior, quàm horum in illos. 1. *Quia* parentes diutius amarunt liberos. 2. Magis parentibus constat de liberis, quam his de illis. 3. *Quia* benefactoris amor major est in beneficiarium, quam hujus in illum, cum beneficiarius totus quasi sit benefactoris: quivis autem suum quod est, amat impensius. II. γαμικὴ, per conjugium contracta, quæ vel primaria, ut inter maritum & uxorem, vel secundaria, inter affines. III. Ἀδελφικὴ fratrum & sororum. IV. Συγγενικὴ, inter sanguine junctos, cognatos, patrueles, consobrinos, &c.

CAP. VI.

De odio & ira, spe & metu, lætitia & tristitia.

ODium est affectus amovendi objectum. Opponitur amori, ex cujus explicatione idcirco intelligitur. Differt ab invidia. 1. *Quia* hæc solius hominis est, odium etiam brutorum. 2. Hæc est ex alterius rebus secundis invidenti non nocentibus: illud ex eo quod noxium.

Causæ

Causæ odii sunt. 1. Naturæ proprietas non facilè applicabilis, ut inter lupum & ovem. 2. Ab amore sui. 3. A re meritò aversandâ. 4. Ex animi offensione.

Remedia sunt, qualia contra iram.

Huc referantur contemptus, inimicitia, &c.

Contemptus est affectus ex nimia φιλαυτίᾳ *ortus*, quo quis alium se putat abjectiorem.

Remedia. 1. Respicienda propria vitia. 2. Scriptura passim contemptum prohibet.

Ira est affectus mistus ex sanguinis & spiritus circa cor accensione, quo ulcisci & punire libet eum, qui injuria læsisse videtur.

Quatenus est affectus, materia est mansuetudinis; ut habitus ex multis actionibus, est habitus vitiosus vel iracundiæ.

Dicitur *affectus mistus*; Nam duplex adest cordis motus, ut objectum duplex: viz. malum præsens movens tristitiam, & objectum desiderabile movens cupiditatem ulciscendi & puniendi.

Iræ species sunt. 1. Levis animi concitatio & furor brevis. 2. Furor major ex naturæ perversitate. 3. Furor maximus vel acerbitas (ut in Nerone, Ajace, &c.) ex qua sæpè morbi graves.

Remedia. 1. Vindictam in aliud tempus differre. 2. Rebus leviculis non offendi. 3. Deo vindictam relinquere. 4. Cogitare nos ipsos sæpe labi & errare.

Spes est affectus simplex, quo dum animus bonum futurum appetit, cor se dilatat, & ad illud recipiendum se quasi præparat.

Dicitur bonum *Futurum*; (Nam gaudium est præsentis boni) quod sit possibile, nec non arduum; nam leviculum facile habendum, non speramus.

Metus seu timor est affectus simplex mali futuri (hoc objectum.)

Caussæ sunt: Dei ira, eorum offensiones quæ lædere possunt; morbi, pestis, amissio libertatis, religionis, conjugis, opum, &c. Fulmina, terræ motus, prodigia, &c.

Effecta. 1. In animo perturbatio cogitationum. 2. In corpore pallor, horror, angustia, pilorum rigor.

Remedia. 1. Æstimare pericula secundum circumstantias. 2. Præmeditari pericula, ut minus noceant. 3. Exempla aliorum similia perpendere. 4. Sperare meliora, &c.

Timori *opponuntur*: Securitas, fiducia, & audacia. Securitas, cùm non perpendant mali magnitudinem. Fiducia est animi confirmatio in periculis. Audacia, cùm temerè ruunt objecta pellenda, vel consequenda, &c. Ideoque raro cum successu.

Lætitia est affectus, quo ob bonum præsens vel præteritum (objectum est) *cor dilatatur & spiritus diffundit.* Ideo ex moderata lætitia corpus moderatè calebit, & humectatur, viresque omnes fiunt vegetiores, ex immoderata sæpe mors subita.

Estque vel honesta, vel turpis vel illicita (pro ratione objecti) remedia exigens instar amoris.

Tristitia est affectus, quo ob malum præsens vel præteritum cor coarctatur.

Species ejus sunt: *Misericordia*, quæ est de malo alieno. *Invidia*, de bono alieno. *Angustia* vel anxietas: cùm spes non est refugii. *Acedia* quasi vocem amputans præ nimia tristitia.

Effecta sunt nocumenta animi & corporis.

Remedia 1. Cogitare de conditione humana adversitatibus expositâ. 2. Ideoque contemnere. 3. Aliis delectari & avocari. 4. Amicos habere compatientes.

CAPUT VII.

De definitione virtutis, itemque justitiæ universalis.

HActenus de tribus causis virtutis prioribus. Sequitur *forma & definitio virtutis* moralis eviscerandа.

Virtus est habitus electivus in mediocritate consistens, quoad nos definita, ratione viri prudentis.

Definitum Ciceroni à viro dicitur. Genus est *habitus*. Est enim virtus sua formali & intrinsecâ ratione habitus bonus & *electivus*, vel in electione consistens, ut distinguatur ab intellectualibus virtutibus, ab habitibus corporis, ab actionibus naturalibus, coactis, fortuitis, temerariis. Ubi autem electio, ibi libertas & consultatio: quæ in voluntate sedem habent. *Voluntas* ergo *virtutis* est subjectum vel materia in quâ.

Mediocritas formam virtutis potissimum constituit: Virtus enim in medio consistit inter excessum & defectum ceu vitia: v.g. fortitudo inter audaciam & timiditatem; liberalitas inter profusionem & avaritiam.

Medio-

Mediocritatem consequendi tria *præcepta* dat Aristoteles. 1. Cavendum & magis recedendum ab eo extremo quod medio magis adversatur, & declinandum ad id quod medio est propinquius. 2. A vitiis, ad quæ natura sumus proniores, magis abstinendum, & in contraria nitendum. 3. In omni actione cavenda est voluptas, rationi scilicet inimica.

Dicitur præterea in definitione, *quoad nos sicut vir prudens eum definit*. Observandum enim in virtute medium personæ, rationis, vel Geometricum accommodatum cujusq; personæ pro ratione circumstantiarum, loci, temporis, &c. quæ cum varient in actionibus, non nisi vir prudens deprehendit medium, longo usu doctus quid singulis personis & circumstantiis conveniat.

Justitia universalis tantum *differt à virtute morali*, quod hæc referatur magis ad habentem, & dicatur ut est merus habitus voluntatem vel appetitum in habente perficiens; illa magis ad alios se extendat, & ad bonum publicum conferat, & non tantum privatum sit habentis bonum.

Est autem justitia universalis qua quis justè se habet circa bonum commune & publicum, & omnibus legibus obedientiam præstat, ut ex earum præscripto omnes alias virtutes colat.

Aristoteli etiam legalis dicitur (quia leges eam præcipuè intendunt) perfecta, optima, pulcherrima, latè patentissima (quia reliquas virtutes sub se complectitur) virum optimum efficiens, &c.

Objectum est *jus vel justum*, vel omnes virtutum actiones, quæ quatenus legibus mandantur, dicuntur potius justæ, quam fortes, liberales, &c.

Oppositum est *injustitia universalis*, cum non præstatur legibus obedientia, unde turbatur humana societas: & adversantur justitiæ universali omnium virtutum moralium extrema, quatenus faciunt ad bonum publicum aliquo modo minuendum. Vnde justitia universalis potest esse in uno aliquo subjecto, cùm bonum bono non contrarietur. At injustitia universalis non potest simul & semel uni subjecto inesse, cum multiplex sit morale vitium, & unum alteri contrarium, ut audacia & timiditas.

CAPUT. VIII.

De Divisione Virtutis Moralis.

NOn esse unicam tantum virtutem (unitate specificâ) sed plures, patet contra Stoicos. 1. Quia quidam magis ad unam quàm aliam virtutem inclinant. 2. Aliæ ad aliam animi facultatem referuntur. 3. Distinctos affectus moderantur vel ad mediocritatem reducunt. 4. Differunt externis objectis, terrificis, voluptatibus, honoribus, &c.

Cicero in officiis quatuor Cardinales & Primarias virtutes recenset: Prudentiam, justitiam, fortitudinem, & temperantiam. Sed miscet virtutem intellectualem cum moralibus.

Moralis autem *virtus* commodè *dividi potest* secundum facultates *irascibilem* & *concupiscibilem*. In concupiscibili versatur virtus, vel circa voluptates corporis, quas moderatur *temperantia*, vel voluptatum instrumenta. Instrumenta illa sunt divitiæ & honores. Circa divitias acquirendas versatur *justitia* suum cuique tribuens, circa erogandas mediocres *Liberalitas*, magnas *Magnificentia*. Circa honores mediocres versatur *Modestia*, circa magnos *Magnanimitas*. In irascibili quæ continentur virtutes, versantur circa jocosa vel seria. In seriis molestis timorem cohibet *fortitudo*, iram *Mansuetudo*. In seriis jucundis peragendis præest *humanitas* seu comitas, referendis *veritas* præest. In jocosis mediocritatem servare jubet *Vrbanitas*.

In his *justitia* est utilissima & præstantissima, quippe absque qua nulla domus, civitas, aut gens conservari potest, & ad quam aliæ virtutes videntur quodammodo posse referri. Postremæ verò 4. dicuntur Homiliticæ, quia plurimum conferunt ad civilem conversationem, quæ consistit in dictis & factis, & animos hominum conjungunt. Et licet reliquæ virtutes interna magis respiciant, & actiones graviores magisque reales, adeoque sint eminentiores; tamen non ideo negandum, has postremas esse virtutes. Cum 1. participent de definitione virtutis. 2. Versentur inter duo extrema. 3. Profluant ex voluntate, consultatione, prælectione, &c.

CAP.

CAPUT. IX.

De gradibus virtutum moralium, vel de perfectione & imperfectione earundem.

IN uno subjecto tres sunt virtutum moralium gradus & respectus. 1. Est incipientium vel in gradu continentiæ, quando affectus pravi & cupiditates inordinatæ, rectæ rationis imperio subjiciuntur invitè. 2. Proficientium vel in gradu temperantiæ; quando magis expressæ sunt & pacatæ passiones, nec ita vehementes. 3. Perfectorum & heroum, cum ita cohibentur affectus, ut vix aut rarissimè se rationi opponant. Et hæc sunt tria illa quæ in moribus expetenda docet Aristoteles. Scilicet: virtus imperfecta seu incipiens, virtus moralis, & virtus heroica, quæ virtutum est perfectio.

Tria verò è contrà fugienda monet idem: Incontinentiam, vitium morale, & feritatem seu immanitatem.

Virtutem, prout medio se habet modo, huc usque in genere consideravimus; superest ut pariter in genere eam consideremus secundum imperfectionem & perfectionem. Primo ergò accedamus semivirtutes dictas, seu virtutes imperfectas.

Virtus moralis imperfecta est via vel dispositio ad ipsam virtutem perfectam. Vel: est habitus electivus imperfectus, appetitum reluctantem & indomitum rationi subjiciens. Differt ergo à perfecta virtute non specie, sed gradu, ut dispositio ab habitu.

Hujus *duæ species* Philosopho: *Continentia & Tolerantia.* Illa circa voluptatem, hæc circa dolorem versatur, sed omnis generis sensuum, non tantum circa gustûs & tactûs, ut temperantia.

Deinde, illa concupiscibilem appetitum dirigit, hæc irascibilem; ut ideo ad hæc duo quasi summa capita, reliquæ imperfectæ virtutis species (quæ tot sunt quot perfectæ) nominibus propriis & convenientibus carentes, referri nequeant.

Virtus heroïca est eminentia & splendor virtutum moralium, (præcipuè & in his fortitudinis & magnanimitatis, quarum splendor vulgo oculos magis percellit, interim & in intellectualibus virtutibus excellentes, heroës sunt, & in reliquis moralibus) earum præcipuè quæ majori cum difficultate conjunctæ sunt quæq; divinum

vinum aliquem afflatum exposcere videntur, prætet reliquas efficientes virtutum moralium, in quibus cc venit heroica cum moralibus, uti & genere, subjecti objecto, &c.

Differt enim à moralibus tantum secundum magis & minus, vel perfectionem & imperfectionem, id est di versos gradus.

Hinc tot sunt species heroicæ, quot sunt moralium virtutum; cum in qualibet virtute reperiatur splendor & eminentia. Datur enim fortitudo heroica, temperantia heroica, &c.

Et cum nulli sit præclusa virtus, in fœminis utique etiam esse potest virtus heroica, quæ apparuit in Rachab, Deborah, Iaël, & Iudith, atque inter prophanas in Semiramide & Margareta Danorum olim regina, quæ Regem Sueciæ in bello captivum duxit.

Heroës ergo *sunt viri illustres per excellentem virtutem supra humanam conditionem collocati, per quam* olim *cæpit nobilitas.* Nobilitas enim cum virtute heroica coincidit. Et hæc est propria & Philosophica nobilitatis acceptio, cum impetratur artis vel Martis beneficio. Alioquin impropriè, abusivè & populariter sumitur. 1. Pro ea quæ in divitiis & bonis fortunæ reponitur: quæ tamen nobilitatem illustrare & ornare, non vero dare possunt, cum sint bona mobilia, mutabilia & inconstantia. 2. Pro ea quæ in generis & prosapiæ splendore collocatur, estq; naturalis & congenita. At hoc bonum est non proprium, sed alienum: nec raro ex illustri stirpe prognati degenerant: Vnde illud: Heroûm filii noxæ. Et vice versâ, ex vilissima & obscurissima familia multi præclari ac nobiles orti.

CAP. X.

De oppositis virtutis moralis & Heroicæ.

Contrariorum eadem est scientia, teste Aristotele: Quare in Ethicis non tantum de virtutibus agendum, sed etiam de vitiis & extremis. Et nunc de his in genere agemus, ut hactenus de iis genericè diximus. Nec non de heroicæ virtutis oppositis. Semivirtutum opposita cum specialia sint; juxta species Semivirtutum, de iis in parte propria tractandum.

Vitium est excessus vel defectus virtutis in medio consistentis

lis inter hæc duo. Vt liberalitas medium est vel virtus, avaritia defectus, profusio excessus.

Vitii vel mali moralis *causæ*, Theologicè responden-do, sunt Diabolus & perversa hominis voluntas. Philo-sophicè, defectus rationis & nimius amor sensuum, eo-rumque quæ sensibus sunt grata, qui rationem obfuscat & appetitui subjicit Nam si appetitum respiciamus, homo magis pronus est ad vitia quippe sensibus gratio-ra. Si rationem, magis ad virtutes (non spirituales, sed morales) ut enim se habet intellectus ad scientiam: sic voluntas ad virtutem: At omnes natura desidera-mus scire.

Malum ergo morale,cum virtuti bellum indixerit, *nequaquam est faciendum, ut eveniat bonum*, (bonum e-nim ex malo præcedente ortum, bonum esse desinit.) At malum aliquod Physicum & leve (ut corporis mor-bum vel fœditatem) facere licet,ut eveniat præstantius bonum. Vt si quis cum Zopyro faciem vulneret, & ad hostes fugiens quasi à suis læsus, eorum consilia in pa-triæ gratiam exploret.

Heroïcæ virtuti *opponitur in defectu ignavia* & inepti-tudo ad omnem virtutis impetum. In excessu *feritas* seu bestialitas, quæ ex magnitudine vitii vel eminentia vi-tiosi habitus oritur Est enim *vitium summum omnem rationis usum excludens, hominemque infra humanam condi-tionem deprimens, & quasi in ferinam transferens.*

Differt à vitio tantum secundum magis & minus, & tot *species habet*, quot sunt vitia moralibus virtutibus opposita. Vt alia sit feritas opposita fortitudini, qua-lis in Nerone, alia liberalitati, temperantiæ,&c. Omnes tamen ad tres principales formas referuntur: *Prophani-tatem, immanitatem, & tyrannicam impietatem.* Hæc pie-tatem erga patriam pervertit: Illa charitatem erga pro-ximum hominem exuit: ista à Deo & divinis avocat.

PARTIS SPECIALIS.

CAPUT. I.

De justitia in genere, & de distri-butiva in specie.

Præmittitur hæc tanquam moraliū virtutum Regina, cum alias ordo sit arbitrarius, nec referat,quo quæ-que loco tradatur; cum omnes sint virtutis species.

Est autem justitia virtus moralis, quâ homines apti sunt ad agendum ea quæ justa sunt, eademque etiam agunt & volunt. Vel: *est virtus unicuique suum tribuens*, alienum non vindicans, utilitatem propriam negligens, ut communem æquitatem custodiat.

Definitum dicitur à jure objecto suo, quod sit juris status, vel quod in ea jus sistatur. *Ius* vero à *jubendo* dicitur, quasi *jussum*. Differentia primæ definitionis insinuat 1. Facultatem justa agendi. 2. Actionem. Nam virtutis laus omnis in actione consistit, ut ait Cic. 3. voluntatem, ex qua proficiscatur, non ex affectu aut perturbatione. Unde ICtis definitur *justitia*, constans & perpetua voluntas suum cuique *jus* tribuendi.

Objectum est *jus* vel *justum* & rectum. *Oppositum* est *injustitia*, quo nomine continentur duo vitia: nimium vel parum tribuere, sibi aut alteri.

Dividitur justitia *in universalem & particularem.*

De universali dictum parte communi cap. 7. *Particularis*, quæ & moralis dicitur, *est virtus in rerum externarum distributione & commutatione sita.*

Objectum sunt bona externa & fortunæ, ut opes & honores. Circa hos præcipuè versatur distributiva: magis circa eas commutativa.

Dividitur enim *particularis in distributivam & commutativam.*

Distributiva est justitia particularis præmia & pœnas justo modo distribuens. Vel: est quæ in distributione bonorum & malorum externorum proportionem servat Geometricam, id est, rationem habet dignitatis personarum & æqualitatis rerum, ut unicuique pro merito suum tribuatur. Quod stabile est fundamentum Reipublicæ.

Oppositum est injustitia illa, quâ præmia & pœnæ non justo distribuuntur modo.

Excessus dici potest tyrannis pœnas nimis exasperans. *Defectus* socordia, neq; dignis præmia distribuens, neque delinquentibus pœnam.

Objectum sunt 1. Personæ v. g. publicis plus tribuendum. 2. Bona & mala externa, id est præmia & pœnæ, ut honores, dignitates, officia, pecuniæ, labores, castigationes, supplicia, &c.

Hæc distributiva, *alia* est *remunerativa*, quæ præmia, *alia punitiva*, quæ pœnas juste distribuit.

In hac justitiæ specie servatur proportio Geometri-

ca.

Hæc, sicut in Mathematicis, neglecta æqualitate differentiarum servat æqualitatem proportionis: ita in ethicis non spectat nude & absolutè rerum æqualitatem, sed cum discrimine circumstantiarum atque personarum quibus aliquid tribuendum, & rerum tribuendarum respectu: Servat enim æqualitatem non rei ad rem (ut commutativa, quæ servat Arithmeticam proportionem secundum æqualem quantitatis excessum, ut tantum quis reponat, quantum accepit, absque discrimine status & dignitatis in personis) sed rei ad personam, v. g. in bello duci plus dandum quàm militi, &c.

Ad pœnam refertur à nonnullis *jus talionis*, *quod* est *simplex*, *vel proportionale*. Illud Pythagoricum est, quando simpliciter tale vel idem redditur, quale acceptum: quod in nulla specie particularis justitiæ locum habet. Proportionale, vel analogicum est compensatio bonorum & malorum facta proportionaliter. Bonorum dicitur *gratitudo*, malorum *vindicta*. Et hæc lex talionis in Repub. est necessaria.

CAP. II.

De justitia commutativa, ubi simul de furto & usura.

Commutativa est justitia particularis, quæ in contractibus & rerum permutatione proportionem servat Arithmeticam, id est, posthabito personarum respectu, rei servat æqualitatem, ut suum unicuique tribuatur, & neutra pars defraudetur. V*nde* Correctiva etiam Aristoteli dicitur, quia omnem inæqualitatem corrigit, seposita personarum dignitate, v. g. nobili consuli, & rustico licèt inæqualis honor tribuatur ratione justitiæ distributivæ, non tamen in emendo vel vendendo aliquid minori pretio datur huic magis quam illi.

Differt ergo à distributiva. 1. Proportione, uti dictum. 2. Subjecto vel personis, quæ in distributiva sunt publicæ, hîc privatæ.

Oppositum est injustitia, qua vel justo minus pro rebus solvitur, vel iniquum pretium rebus imponitur. Item si merces sint corruptæ, iniquæ mensuræ, pondera.

Medium & mensura, per quam exercetur justitia commutativa *est* 1. *Ex natura*, ut est annona publica & non corrupta. Hinc occasio exercendæ mercaturæ, cum

non omnis ferat omnia tellus, adeò ut mercatura sit jure naturæ orta, & jure omnium gentium confirmat. 2. *Ex instituto* hominum, & est *nummus*, quo medium generalius & commodius nullum, cum non quivis quavis annona indigeat.

Objectum sunt *contractus*, ut 1. Emptio & venditio, ubi notandum, teneri venditores, vitia occulta rei vendendæ significare, ne defraudetur proximus, & ut merx pretio æquetur, quod requirit justitia commutativa. 2. Nudus usus. Ususfructus, ubi plus est commodi. 4. Commodatum, ubi restituitur commodatum in specie, vel, idem numero & qualitate. 5. Mutuum: ubi restituitur non idem numero, sed simile specie & valore. 6. Locatio & conductio. 7. Depositum vel actio deponendi, ubi rem ad custodiendum traditam repetit deponens quando vult. 8. Pignus vel pignoris acceptio. 9. Sponsio seu fide-jussio. 10 Promissio simplex absque antecedente petitione promissionis. 11. Stipulatio, quæ fit præcedente petitione. 12. Transactio, vel concordia circa rem litigiosam. De quibus ubique ICti.

Contractus autem & mercaturæ Christianis licitæ sunt & necessariæ, ad politicæ societatis conservationem. Licitæ: quia commendantur in scriptura pondus integrum, mercatura, &c. & illos probant exempla sanctorum in utroque testamento: Imo in Mose certa præcepta contractuum politicorum sunt præscripta.

Excessus est *nimium lucrum*: justum enim concessum est. *Defectus* est *damnum*. Sub damno & lucro continentur furtum & usura.

Furtum, est contrectatio & ablatio fraudulenta rei alienæ invito domino, lucri gratiâ.

Definitum à furvo seu atro dictum; eo quòd nocte atrâ potissimum committatur.

Genus actionem externam requirit. Theologicè autem furtum etiam est quod in animo concipitur. Per *rem alienam* intellige rei 1. Substantiam. 2. Qualitatem, ut si detur vetus pro novo, dimidium pro integro. 3. Quantitatem, ut si est falsitas in numero, pondere, mensura &c. 4. Commoditatem; si res non datur suo tempore & loco.

Finis est turpe & *injustum lucrum*, cujus causâ, qui assentiuntur, operam & consilium &c. dant furibus, hi annumerantur.

Divi-

Dividitur 1. In *manifestum*, & *occultum*. 2. In *diurnum*, & *nocturnum*. Et hoc deterius. 3. Aliud est *rei animatæ*, aliud *inanimatæ*. Illud vel est *plagium*, & est hominum; vel *abigeatus*, & est armentorum abductio. Hoc vel est *sacrilegium*, spectantium ad cultum divinum; vel *furtum simplex*, rerum simplicium & inanimatarum.

Pœnæ furti ratione delicti variant. In variis nationibus est *suspensio*, ex jure ubique recepto. Lex enim Mosaica, licèt eam pœnam non decernat, crescentibus tamen delictis creverunt pœnæ. Vnde & Salomonis tempore asperior pœna erat furti, quam secundum legem Mosaicam.

Et licet per benignam juris interpretationem & misericordiam à pœna aliquando ordinaria liberentur, qui urgenti summa fame & necessitatis tempore furati sunt; tamen hoc furtum nequaquam licitum est, fame enim potius moriendum pauperi, quàm furandum. Interim panem ei denegans homicida est. Iuxta illud: si non pavisti, occidisti.

Vsura est id quod alteri solvitur propter pecuniæ debitæ, vel rei concessæ usum. Estque triplex: *Lucratoria*, *punitoria*, *Compensatoria*.

Lucratoria illicita est, & furto deterior, cum ob mutuationis officium pretium illegitimum exigitur. Dicitur fœnus quasi funus, vel viva hominis sepultura & cruciatus.

Punitoria est, quæ tanquam mulcta debitori irrogatur ob moram solvendi.

Compensatoria, est cum pro pecuniæ usu justum pretium gratitudinis loco retribuitur, habitâ ratione æquitatis & conscientiæ. Hæc in quibusdam casibus est licita. Vt 1. cum diviti mutuo dederis ad exercendas negotiationes, agros, ædes, &c. comparandas; ne ipsi sit commodum, tibi damnum. 2. Cum pauper pauperi dat mutuò, non ex abundanti: ut dans merito ab accipiente indemnis præstetur. Nam ita quis alteri proderit; ne sibiipsi obsit. Charitas enim incipit à seipsa. Licitam vero aliquam esse usuram probatur & ex sacris Matth. 25. & jure civili, quod eam decernit. Illicita autem est compensatoria, si dives mutuo dederit pauperi egenti & non inde lucranti. Ab hac passim Scriptura abhorret & Christiana charitas.

CAPUT. III.

De jure & injuria.

JUs *est, quod recta ratio in usu mutuæ societatis præscribit.*

Dividitur Aristoteli in *civile* seu simpliciter dictum, & *domesticum* seu secundum similitudinem dictum.

Iurisconsulti dividunt in *naturale*, quod natura docuit omnia animalia, ut seipsum defendere, liberos amare, &c. *Gentium*, quod ratio omnes gentes docuit (& hoc idem est cum jure naturali Aristotelico) ut Deum esse colendum, patriam defendendam &c. Et *civile* quod quisque populus sibi constituit scriptum vel non scriptum, publicum vel privatum.

Civile (quod Aristoteli etiam sub se continet naturale) vel est *naturale* vel legitimum seu *legale*, quod jurisconsultis tantum civile.

Naturale est quod apud omnes homines, rectæ rationis beneficio utentes, eandem vim habet, non ex hominum opinione aut instituto. Dicitur rectæ rationis. Nam hac neglecta non defuerant scelerati populi, bestiales & quasi furiosi, quia jure recesserunt naturali: ut apud lidos filii parentes senio confectos fustibus interficiebant.

Efficiens legis naturæ, sunt notitiæ principiorum practicorum & inde extructarum conclusionum, quas Deus animis hominum ab initio impressit. Vnde hoc *jus* in Scriptura dicitur *jus* dei, veritas & patefactio Dei, opus legis inscriptum in cordibus in ipsa creatione.

Principia sunt axiomata per se nota & indemonstrabilia, natura nobis insita, & legum specialiorum semina: ut turpe est fugiendum; parentes honorandi; pactum servandum; quod tibi non vis fieri alteri ne feceris; suum cuique tribuendum, veritas colenda, &c.

Conclusiones ex his ratione recta colligendæ sunt variæ, ut ex principio: justitia est colenda, concluditur; Ergo non furandum, non occidendum, &c. Ex principio: æqualitas est servanda, concluditur: Ergo pœna delicto debet respondere.

Iuris naturalis *species* Ciceroni sunt. 1. Religio, quæ Deo debetur. 2. Pietas, quæ Patriæ, parentibus, cognatis, &c. 3. Gratia benemeritis. 4. Vindicatio, injuriosis. 5. Observantia, superioribus autoritate, &c. 6. Veritas omnibus.

Ius legale vel *civile* specialiter & ICtis dictum, *est quod*

hominum instituto authoritatem habet, omnes quibus ferlur obligans. Hoc apud omnes non est idem, sed mutari potest, imò abrogari. Sancitum vel ex *jure* naturæ: vel ratione aliqua probabili, vel aliqua circumstantia ad salutem civium, &c.

Finis est non tantum honestas, ut in lege naturæ, sed etiam utilitas.

Adjunctum est *æquitas vel correctio, quando jus ipsum ob generalitatem videtur deficere*, vel benigna *juris* interpretatio à judice prudenti. Æquitatis *extrema* sunt. 1. Malitiosa juris interpretatio, ICtis calumnia, cum legis verba in sensum detorquentur alienum à mente legislatoris. 2. Strictum & summum jus, cum leges severe sine mitigatione (licèt hanc circumstantia aliqua postulet) retinentur absque prudentia, id est, absque examine circumstantiarum, loci, temporis, personarum, mentis legislatoris, &c. Et in hac significatione summi *juris* (non de statu juris perfecto & excellentissimo) verum est illud, *summum jus summa injuria.*

Ius legale vel est non scriptum, approbatum longo consensu utentium, & ita imitatur legem; vel *scriptum*: ut lex, plebiscitum, senatusconsultum, principium, placitum seu constitutio, Prætorum edictum, responsum prudentum, recessus &c. de quibus ICtus. Utrumque vel est publicum pro pluribus; vel privatum pro qualibet civitate vel universitate, &c. Et dicitur jus municipale, statutum, &c.

Ius domesticum est quod colitur inter unius domûs membra; ut matrimoniale seu *uxorium*, inter maritum & uxorem: *Herile* seu dominativum, inter Dominum & servum. *Paternum* inter parentes & liberos, &c.

Injuria opponitur juri, cujus est violatio, Estque vel *voluntaria* vel *invita*. Illa propriè est injuria, cum invito præter meritum infertur damnum à sciente & volente. Dicitur invito, nam *volenti non fit injuria*, vel volens non patitur injustum, modò habet voluntatem integram, absolutam, liberam & expressam, At patitur nolens injustè, qui habet voluntatem 1. tacitam, nam, non expressam, v.g. qui volens patitur damnum leve ab inimico, ut magis ei noceat. Non integram, ut in martyribus. 3. Conditionalem, ut pauper egens dat diviti injustam usuram. 4. Ligatam, ut infirmus noxia petens si à quodam facile concessa habeat. Hæc vel est venia-

lis

lis, quam homo committit per ignorantiam, vel n
venialis, quam committit ignoranter. Confer ce
Ethic. General. Voluntaria est. 1 Ex malitia & ce
animi proposito. 2. Ex animi affectu & perturbatio
& hæc levior est.

CAPUT. IV:

De Temperantia.

TEmperantiæ vox hic non generaliter capitur p
quavis virtute, sed morali, servante in gula & vene
mediocritatem.

*Est enim temperantia virtus moralis in appetendis vel f
giendis corporis voluptatibus, quæ gestu & tactu perci
untur, & arcendis doloribus, qui ex rei jucundæ privati
animo concipi possunt.*

Habebit itaque vir temperans in expetendis & p
fruendis voluptatibus rationem honestatis, quantitat
valetudinis, existimationis, loci temporis, sumptuu
&c. Et cum temperantia sit virtus, non erit tempera
qui à rebus nonnullis abstinet vel natura, vel mor
vel voto. Coactio enim in virtutibus non habet locum

Effecta temperantiæ, in corpore, sunt sanitas & pu
chritudo; contra, intemperantia variarum ægritudin
causa est, & medicorum nutrix. In animo, conserva
ingenii, judicii, memoriæ alacritas ad exercendas vi
tutes.

Excessus est intemperantiæ vitium frequentissimum.

Defectus, (qui rarissimus,) est stupiditas omnes spe
nens etiam necessarias, & honestas voluptates ut in O
rigine, qui ad vitandam venerem seipsum castravit;
in Diogene, qui omnes mulieres de arboribus suspen
optavit.

Objectum externum Philosopho sunt *voluptates* (co
poris non omnes, sed tantùm *gustus & tactus*; & hu
præsertim) & dolores (ex accidenti, nam fortitudo p
se circa dolores versatur) quatenus ex voluptatum n
mio desiderio vel privatione oriuntur.

Species duæ sunt: Frugalitas & castitas.

Frugalitas est temperantia in gula moderanda, quâ cibi
potus tanta portione utimur, quantum natura ad su
conservationem postulat.

Ratione duplicis hujus objecti, cibi & potus, *dupl*

est frugalitas: *abstinentia*, quæ in cibo, & *sobrietas* quæ in potu. Habeatur autem ratio cujusq; naturæ. Non enim omnibus æquè calor fortis est, nec æqualiter omnes laborant: quare unus altero copiosiori victu uti potest, ille sola frugalitate.

Excessus est *luxuria* in cibo & potu, corpus ejusq; vires prosternens uti animi: qualis cœna Antonii & Cleopatræ.

Defectus sunt *sordes* tales, cum quis corpori necessarium alimentum denegat.

Abstinentia est frugalitas in cibo capiendo modum servans naturæ & rectæ rationi congruum.

Defectus est nimia *corporis maceratio*, vitium rarum.

Excessus frequens est *voracitas* & edacitas, consistens. 1. In nimia quantitate. 2. Festinatione, instar canum. 3. Intempestiva comestione non urgente fame. 4. In electione suavium præ salubribus. 5. Cum quis delicatiora in patina meditatur & evolvit.

Remedia contra voracitatem sunt. 1. Cogitare nutriendam etiam esse animam. 2. Voracitatem esse bestiarum. 3. Non abutendum divinâ liberalitate. 4. Gustus delectationes esse breves. 5. Prius resistendum hostibus qui in nobis sunt, quam externis. 6. Voracitatem esse matrem morborum & mortis prematuræ.

Sobrietas est frugalitas in moderato potus usu. Vult hæc virtus. 1. Ne nimium bibamus. 2. Ne nimium sectemur suavitatem potûs, etiam in modico potu.

Extremum in *defectu* nomine caret: dici tamen potest nimia *aversatio potûs* requisiti: quod vitium admodum rarum. Non enim pro vitio reputandum, quod aliqui nihil planè biberint, vel ex peculiari natura, vel morbo, vel coactione, vel consuetudine longa, &c.

Extremum vitium in *excessu* est *Ebrietas* vel intemperantia in potu, virtus hodie, proh dolor! potius quàm vitium helluonibus.

Causæ sunt prava voluptas, consuetudo perversa, &c.

Effecta sunt nocumenta varia corporis & animæ: morbi infiniti, & mors sæpè repentina.

Remedia Ethica præter ea quæ voracitatis sunt. 1. Considerentur incommoda & effecta ebrietatis. 2. Cogitandum vinum ad ebrietatem sumptum hominis esse venenum. 3. Contemplentur ebrii in speculo faciem furibundam. 4. Perpendendum Ethnicos etiam potuisse hoc

vitium

vitium detestare & bestiis adscribere.

Castitas est Temperantia in moderanda venere licita, & fugienda illicita.

Objectum est venus, quo nomine intellige non tantum actum venereum, sed etiam voluptatem in amplexu, osculis, colloquiis, gestu corporis, vultûs, oculorum, manuum, pedum, &c. Et tum hæc virtus in specie dicitur *Pudicitia*. In venere licita vult castitas, ut fiat illæsa valetudine in loco, tempore, &c. Illicitam planè damnat.

Ratione personarum consideratur castitas, & requiritur. 1. In omnis ætatis statûsque hominibus. 2. In juvenibus, puellis & omnibus non nuptis virginitas. 3. In conjugandis requiritur reverentia in cognatum sanguinem ne copuletur sanguine aut affinitate vicinior quàm par est. 4. In jugibus fides conjugalis, ne aliis adhæreant, neve se invicem deserant extra casum adulterii.

Extremum in *defectu* est affectata omnis veneris detestatio ut in Diogene, Origine, &c.

Excessus est *libido*, ad quam referuntur, 1. Omnis frivola seminis profusio. 2. Scortatio. 3. Stuprum. 4. Adulterium tam simplex quàm compositum. 5. Incestus. 6. Sodomia. 7. Bestialitas.

Effecta. Libidinem omnem consequuntur: ignominia, pœnæ variæ, morbi, mors repentina nonnunquam & ni resipiscant, mors æterna: nam scortatores & adulterii non possidebunt regnum Dei.

Sunt qui huc *choreas* referunt tanquam libidinis irritamentum. Sed distinctione opus. *Aliæ* enim saltationes sunt *sacræ* & religiosæ, quæ in honorem Dei fiebant, ut à Davide, Juditha, &c. Aliæ *convivales* nostro tempore plerumque conviviorum appendices, suntq; vel *honestæ* & Christianis licitæ, vel inhonestæ; *inhonestæ* sunt leves & impudicæ quæ fiunt à personis scurrilibus & impuris in locis inhonestis, aut tempore inconvenienti. Hæ meritò damnantur. Nam 1. sunt reliquiæ Ethnicismi. 2. Levitatis notæ & irritamenta libidinis. 3. Malorum fontes, ut sunt stupra, cædes, &c. 4. Ethnicis etiam invisæ nonnullis & punitæ; multo magis Christianis.

Honestæ fiunt à personis honestis & verecundis in loco honesto (præsertim publico, in præsentia honestorum) tempore convenienti, non aliis laboribus præsertim sacris

cris destinato; modo decenti, non impudicis circumgliratjonibus & strepitu furioso.

Hæ non simpliciter illicitæ. Nam 1. Scriptura meminit saltationem Eccl, 3. quas tamen nuspiam prohibet. 2. Sanitati prosunt, dum & animus refocillatur, & corpus quietis nimiæ atq; compotationum liberatum motu medlocri quasi vivificatur. 3. Splendor comitatis in moderatis apparet Choreis ut habet *Casus* 4. Quædam honoris gratiâ ducuntur, ut dicebat Imperator Frider. II.

Ab honestis ergo honeste fieri possunt. Impiis autem et impuris nihil est purum.

CAPUT V.

De Fortitudine.

Fortitudo est virtus moralis servans mediocritatem circa timorem & confidentiam in iis quæ terribilia sunt, publicæ utilitatis & honestatis causa.

Definitum a ferendo dictum (pericula videlicet & labores) non hic supernaturalem & cœlestem denotat fortitudinem, ad tyrannidem quamvis perferendam, ut fuit in Mose contra Pharaonem, in Iohanne contra Herodem, in Apostolis & Martyribus plurimis qui fortiores quam qui in bello pro patria occumbunt; nec naturalem illam qualem in leonibus, equis, &c. sed moralem, ut habet Genus.

Objectum internum est *metus & confidentia.*

Externum est generale vel speciale. *Generale* sunt *terribilia* seu formidabilia, mala & adversa, quæ præter meritum & culpam accidunt nostram, ut paupertas, captivitas, exilium, amicorum penuria, vulnera, morbus, &c. quæ tamen metuenda, si ob culpam nostram contingant. Alia vero mala sunt quæ ab omnibus metuenda, ut omne scelus & sceleris pœna, &c.

Mala vero quæ corpus & vitam petunt, sunt majoris fortitudinis: quoad reliqua difficilius est secundas res moderate ferre. Sic mala & pericula subitanea fortiorisest animo magno perferre, quàm prævisa.

Speciale est *mors (præsertim bellica* pro patria & publicæ utilitatis gratiâ) quæ homini, non ut Christiano, sed ut corpori animato conservationem expetenti maxime est terribilis. Et præterea 1. difficillima ob certamen-

men. 2. Pulcherrima ob decorum. 3. Celeberrima propter famam. 4. Honestissima propter causam videlicet defensionem patriæ, religionis, libertatis, parentum, liberorum, &c. Est ergo mors viro forti delectabilis respectu causæ, subjecti & finis; tristis autem & dolorifica consideratione officiorum virtutis, quibus privabitur, ut ampliùs patriæ charissimæ inservire nequeat.

Bellum porrò *Christianis licitum esse*, justis causis politis & vim vi repellere, patet. 1. Natura feris, & mos gentibus dictat injuriam illatam propulsare. 2. Licet defendere patriam, amicos, &c. 3. Bellum continet multos mala meditantes in officio & intra limites. 4. Publica vindicta seu bellum justum in Scripturis passim Deo præcipitur: imò bellandi præcepta à Deo ibidem traduntur. 5. Et sanctorum plurimi bella gesserunt.

Duellum autem *neque gladiatoribus concedendum; neque in bello tuto committitur*, eo fine ut uno vincente universa firma sit victoria. Licet enim in sacris exempla prostent & apud Romanos, & olim apud nostrates Danos teste Saxone; hodiè tamen mos ille merito deserendus quo in usu sunt sclopeta & bombardæ; ut vir fortissimus jam à cacula aliquo occidi queat. Et quid est totum aliquod imperium unius virtuti & fortunæ committere?

Finis in definitione ponitur *Honestum & publica utilitas*. His de causis ferenda pericula, non gloriolæ aut lucelli. Vnde negat rectè Philosophus fortes dicendos qui lucri gratiâ militant. Interim militum mercenariorum opera est utilis, & licitum etiam militare ei qui non subjectus est Magistratui belligeranti, cum exempla passim in Scriptura habeantur.

Officia viri fortis sunt imperterrito animo esse in maximis malis, omnia peragere cum consilio, non temere, cupiditate, irâ, &c. Exspectare hostem, aggredi periculum cum prudentia, sustinere aciem, adversarium fugare; & (quod tamen minus forti competit) fugere si recta ratio jubet, & præsens vitæ periculum. Si enim damnum accideret Reipub. ex tua morte; vitam salvabis: nam ita qui fugit, ad pugnas ille redire potest. At si damnum ex fuga; præstabit mori.

Excessus est duplex. 1. Insana omnis metus vacuitas ut qui non metuit fulmina, tonitrua, terræ motus, prodigia, &c. In quibus non relinquitur fortitudini locus.

2. *Audacia* vel præceps animi impetus in pericula sine ratione, qualis in arrogantibus, qui quum imminent pericula, timidi sunt, & Martem in fugacibus habent pedibus. Est tamen *Audacia timiditate potior.* Nam 1. Hæc Reipub. magis nocet, quippe quæ nihil audet pro patria aggredi, dum interim audaces fortuna juvat, timidosq; repellit. 2. Audacia faciliùs corrigi potest: Estque fortitudini vicinior: audax enim omnia adire jubet pericula, timidus nulla, fortis quædam.

Defectus est *timiditas* seu ignavia, cum quis metuit pericula honesta quæ non debebat. Hæc cum nimia est, fit *desperatio*, ad quam (neutiquam ad fortitudinem; non enim pœna sed causa facit martyrem aut fortem) referenda.

Αυτοχειρία, *cùm quis metu majoris mali sibi manus violentas infert*, adeoq; 1. Non respicit honestatem, sed mortem tanquam majus bonum præ malo eligit alio, quod alia via se effugere non posse putat, quam morte suâ. 2. Facinus omnibus ignominiosum committit & homicidium. 3. Publicam societatem imminuit. 4. In naturam peccat, quæ sui vult conservationem. 5. Non digne & dignis modis mortem subit.

Divisiones fortitudinis sunt variæ. Alia enim est domestica seu *togata*, alia *bellica*. Illa animum præsentem præstat in rebus adversis & prosperis, in pace potissimum eminens. *Hæc* est *vera vel apparens.* De vera supra actum hacter us. *Apparens*, ficta, seu adulterina, est qua impellitur quis ad pericula apparente & specioso aliquo nomine. Estque 1. Civilis seu *politica* dicta, spe honoris aut metu ignominiæ. 2. *Servilis* & coacta, pœnæ formidine, ut in servis, mancipiis, & militibus nonnullis coactis & angustatis, cum fugæ non datur locus. 3. *Iracunda* seu violenta, pendens à metu & perturbatione animi, irâ, odio, cupiditate vindictæ, &c. sine certo consilio. 4. Militaris vel *experimentalis* pendens ab usu & experientiâ atque spe prædæ. Hinc veterani milites tyronibus animosiores. 5. *Fiduciaria* pendens à præsentia præsidiorum & auxiliorum. 6. *Inscia*, quæ pugnat ex ignorantia periculi, donec fugam tandem arripiat.

CAP. VI.

De Liberalitate & Magnificentia.

Conjunguntur hæ duæ virtutes, quia differunt tantum secundum magis & minus.

Est

Est enim Liberalitas virtus moderatrix minorum vel mediocrium facultatum; Magnificentia majorum. Vel, est mediocritas circa pecunias.

Liberalitas dicta, quod homine libero sit dignissima virtus, cujus actus est uti pecuniis.

Objectum propinquum vel internum est amor vel appetitus pecuniarum. Remotum vel externum sunt ipsa *pecuniæ*: non hæ tantum, sed quicquid pecunia æstimari potest; etiam cum quis operâ, officiis & consiliis suis alteri prodest; Græcis χρήματα. Circa hæc versatur liberalis ratione vel χρήσεως vel κτήσεως. Usus possessioni præstat: Ideo liberalitas potius in dando, quam accipiendo occupatur. Dare enim & difficilius, præstantius, laudabilius, & juxta omnes, liberalius.

Usus consistit in largitione & sumptu. Sumptus impendantur ubi honestè fit; parcatur iisdem, ubi non necessarii.

Quoad *dosin*, attende modum & finem cum Aristotele. Et in modo 1. Personam Dantem, quæ erit prompta, hilaris, & collati beneficii immemor, non exprobratrix. Accipientem; quæ sit digna, & vir bonus quicunq; maximè nobis junctus sanguine, terrâ, &c. bene de nobis meritus, &c. 2. Quantitatem, ratione dantis; det pro modulo & facultatibus. Pauper enim de suis dans proportionaliter, liberalior esse potest divite plura dante quidem, sed non proportionaliter. Vide exemplum viduæ *Luc.* 21. Ratione accipientis respiciendus est cujusque status & dignitas, plus enim dandum consanguineo, bono, pauperiori, &c. 3. Qualitatem: beneficia prosint accipienti. 4. Tempus cum res postulat; Qui citò dat, bis dat, &c. 5. Locum, qui sit ex honestatis præscripto.

Finis in dando est *honestas* sola. Non ergo sunt liberales qui dant 1. Ad ostentationem. 2. Ut majora reportent. 3. Ad favorem conciliandum. 4. Ut liberetur à petentis importunitate, ne videatur inhumanus.

Κτῆσις consistit in acquisitione & conservatione. In hac: cavendum æs alienum, temerarias fide-jussiones, &c. In illa: 1. Non per fas & nefas acquirat. 2. Non sit importunus in postulando. 3. Augeat rem familiarem non animo ditescendi; sed ut aliis queat benefacere. 4. Benefacturus de suis largiatur, non de alienis.

Extremum

Extremum in *excessu* & ratione χρήσεως est *prodigalitas, vitium in nimis dando*, & parum aut inhonestum recipiendo. Est tamen laudabilius quam avaritia. Quia 1. Liberalitati similius. 2. Nonnullis largitionibus utilis est prodigalis. 3. Et stultitiâ atque simplicitate magis quàm malitiâ peccans. 4. Citiusq; sanari potest quàm avarus, accedente videlicet ætate vel egestate. Prodigalitas enim magis est juvenum nescientium quid valeat nummus, sed facilius corrigibilium; avaritia est senum magis, qui non flectuntur.

Est autem avaritia vitium in nimium accipiendo, vel retinendo, vel utroque. Estque plurimorum radix vitiorum, perjurii, contemptus verbi Dei, homicidii, adulterii, furti, &c. Vitetur ergo nimius divitiarum appetitus. Interim *Divitiæ per se nullæ* nocent aut *illicitæ* sunt: Nam 1. sunt donum Dei, quo sancti patres multi non caruerunt. Et Deus Salomoni eas promittit cum sapientia. Et benedictio Dei divites facit. 2. Aristoteli sunt instrumenta felicitatis politicæ, & exercendæ liberalitatis.

Magnificentia est virtus in magnis sumptibus erogandis. Objectum sunt *sumptus* non mediocres, ut in liberalitate, sed *ampli* & honorifici, majores in Rege quam Principe, Comite quam Nobili, &c. Vir ergo magnificus esse non potest ex plebe, sed princeps, sanguine clarus, in summo officio constitutus, divitiis affluens honestè partis. Quamobrem meretricula non potest esse magnifica, licet sumptus expendat magnos.

Magnificentiæ eadem *præcepta* sunt, quæ supra liberalitatis, sed in majori perfectione.

Effecta vel opera magnifici sunt pulchra, splendida, durabilia, utilia: ut templa, reditus Ecclesiastici, Academiæ, Nosocomia, arces & propugnacula, portus, porticus, pontes, naves, armamentaria, &c. Item privata ædificia, supellex aurea, argentea, gemmæ, vestes, &c.

Excessus est *luxus* & inepta splendoris affectatio, vitium in nimis magnis sumptibus erogandis, non honestatis causâ, sed delectationis, ut in Cleopatra: Item cum opus fit absque elegantia, gratia, duratione, &c.

Defectus, *sordes*. Sunt autem extrema magnificentiæ deteriora, quàm liberalitatis. Nam 1. Peccant in publicum commodum, & interitum Reipub. afferunt. 2. Conspectiora sunt.

CAPUT. VII.

De Modestia & Magnanimitate.

Conjunguntur & hæ duæ, ut priores differentes tantum secundum magis & minus. Modestiæ enim objectum sunt honores parvi & mediocres; magnanimitatis magni.

Est enim *modestia virtus in parvis vel modicis honoribus recte expetendis vel contemnendis.*

Defectus est *contemptus honorum* præter modum & rationem, etiam nobis debitorum saniorum judicio & divino mandato.

Excessus est *ambitio* vel arrogantia, quando honores mediocres nimium & præter rectam rationem expetimus.

Modestiæ cognata est *Humilitas* Christianorum, vel animi demissio, quâ quis propria modestè extenuat, & submisse se gerit, ac interdum aliquid de jure suo remittit in Dei gloriam & Ecclesiæ commodum.

Magnanimitas est virtus in magnis & debitis honoribus.

Aliàs nonnunquam sumitur pro magnificentia, item fortitudine insigni.

Excessus est *superbia* vel fastus, quando quis indignus magnos affectat honores, res suas secundas jactat, &c.

Defectus Pusillanimitas, respuens honores jure debitos.

Officium *magnanimi* primarium est magnos honores convenienter & modo decenti expetere vel contemnere. Secundarium est, moderatè versari circa opes & potentiam, quæ honorem ex parte amplificant.

Magnanimitatem autem non tollit politicam humilitas spiritualis.

Sed objectum præsentium virtutum explicandum, quod *Honor*.

Honor est præmium virtutis, tributum viro bono ob honestatem à congruente ejus judice, ut ejus virtus refulgeat, cæterique ejus exemplo ad virtutem invitentur.

Materia honoris est multiplex, quæ in signum virtutis tribuitur.

Efficiens est *judex competens* actionis virtutis, vir probus, præsertim princeps & magistratus. Et ad solidum honorem sufficit unius probi & prudentis viri testimonium, cùm una sit vox omnium proborum; At ad honoris

tis illustrationem multorum requiruntur testimonia. Vir ergo pravus & improbus cum judicium honesti & viri boni non habeat, probos & bonos honorare non potest. Honor enim est actio proba, quæ est honorantis & conferentis. Unde Aristot. dicit *honorem esse magis honorantis quam honorati*, Est tamen etiam honorati. 1. Tanquam causæ impellentis & commoventis honorantem seu causam motam. 2. Tanquam illius præmium, fructus & signum. 3. Recipitur in honorato, non in producente. 4. Contraria, videlicet infamia & vituperium sunt recipientis, non dantis. *Quæ* contraria uti fugere licet; ita honorem appetere concessum est. Nam 1. ita distinguitur homo à pecude. 2. Honos alit artes. 3. Iustitiæ est sua unicuique tribuere. 4. Natura etiam membra corporis aliqua honoratiora fecit. 5. Deus honorem præcepit in quarto præcepto.

CAPUT. VIII.

De Mansuetudine.

M*Ansuetudo est virtus servans mediocritatem circa iram.* Dicitur alias clementia, placabilitas, humanitas.

Objectum internum est *ira*, quæ est affectus cum vindictæ cupiditate, ex contemptu nostri vel nostrorum ortus.

Externum, quod iram potest concitare, ut injuriæ, contemptus, convitia, damna, &c.

Officium mansueti in genere, est iram cohibere. In specie, rationem habere 1. Personarum. Irascendum enim improbis & sceleratis, non superioribus, non bene de nobis meritis, non veniam precantibus &c. 2. Causarum. Iræ justæ sint causæ, facientes ad destructionem cultus divini, famæ, patriæ, amicorum. 2. Temporis & loci. Non irascendum diu, non in conviviis, seriis consultationibus &c.

Defectus dicitur *Lenitudo* vel iræ vacuitas; cum quis non irascitur, quibus personis & quibus de causis irasci debet: adeoque occasionem dat securitati & morum dissolutioni.

Excessus est *iracundia*, *cujus* tres *species*. 1. *Excandescentia* cum cito ob leves causas, aperteque irascuntur, subitoque placantur. 2. *Amarulentia*, cum tarde irascuntur, sed semel conceptam iram fovent occultè, & vindi-

vindictam belluino more sequuntur, & occasionem ulciscendi, nisi diuturnitate temporis ira sit concocta: hi deteriores. 3. *Crudelitas*, sævitia, & animi asperitas ut in tyrannicis hominibus, cum gravius & diutius quam oportebat, irascuntur.

Ira autem legitima viro bono licita est tanquam cos fortitudinis excitans animos ad res magnas. Ita in sacris fortissimi & sanctissimi irascuntur Iacobus, Moses, David, &c.

In his extremis lenitudo iracundia præstabilior est: Nam hæc frequentior est, & magis civilem conversationem impedit, dum animos distrahit. Mansuetudo autem virtutibus homiliticis affinis est, quæ jam sequuntur.

CAP. IX.

De Comitate.

Comitas est virtus homilitica in conversatione seria honeste oblectans. Vel: quâ verbis honestè officiosis & amicis sine fuco utimur. Aliis dicitur comitas, familiaritas, affabilitas, humanitas, popularitas, facilitas.

Objectum internum sunt animi voluptates & dolores ex rebus seriis in quotidiana hominum conversatione.

Externum est communio dictorum & factorum in eadem.

Finis est honestas cum utilitate.

Officia viri comis vel humani sunt. 1. Esse promptum & facilem in dictis & factis servato honesto. 2. Uti verbis amicis. 3. Rationem habere personarum præstantiorum, quibus auscultandum; æqualium, quibus consentiendum; minorum, quibus modestè persuadendum. 4. Alterius dicta & facta si approbare *jure* nequit, monebit modestè, non assentabitur.

Excessus est *blanditia*, vel nimium placendi studium, quando quis omnia laudat, & *adulatio* Gnathonica, cùm quis lucri causâ blanditur.

Defectus est *morositas* & violentia, quando nemini placere cupimus, & dicta factaque aliorum bona & recta improbamus.

CAP.

CAPUT. X. *De Vrbanitate.*

VRbanitas est virtus homilitica in conversatione jocunda, quâ rectè jocamur & aliorum jocos ferimus. Vel: quâ concinnis & honestis dicteriis ad hilaritatem excitandam in jocundioribus congressibus jocamur.

Excessus est scurrilitas parasitica, id est, intempestivum & immoderatum studium movendi aliis risum.

Defectus rusticitas, cùm quis non commode & cum gratia jocos profert, sed tardè vel insulsè: nec æquo animo alios jocantes perfert.

Objectum sunt *ludi & joci*, circa quos etiam virtus versari potest, quatenus quæritur relaxatio animi. Sed ludi & joci sint 1. Honesti ac liberales. 2. Moderati. 3. Absque virulenta dicacitate, scommatibus, conviciis, &c. 4. Absq; offensione audientium, imprimis juniorum 5. Tempore fiant convenienti, non exequiarum, *belli*, &c. 6. Ratio habeatur personarum. Aliter enim jocandum cum principe, quam plebeo; aliter cum sene & docto, quam juvene imperito, &c. 7. Iocandum non affectatè, & coactè, sed naturali quadã gratiâ: quæ si desit, legantur autorũ variorum faceti*æ*, & pro *j*ocis narrentur.

CAP. XI. *De Veritate & Taciturnitate.*

VEritas vel veracitas (aliis candor, severitas, integritas, &c.) *Est virtus homilitica, quâ id quod in corde sentimus, ore, verbis, & actionibus profitemur.*

Accipitur hic vox veritas non Metaphysicè pro convenientia rei cum intellectu; nec logicè pro convenientia propositionum cum rebus; sed Ethicè pro habitu virtutis; quo sermones, gestus, & actiones nostræ in se habent imaginem affectuum, cogitationum & volitionum nostrarum. Potest enim quis falsum dicere logicè, &c. non Ethicè, & vice versa. Hinc aliud est *mentiri* aliud *mendacium dicere*. Mentiri dicitur, qui contra conscientiam & mentem suam loquitur id quod fortè alias in se verum est; id est, dicit falsum Ethicè, non Logicè semper. Mendacium dicit qui loquitur illud quod verum esse putat, cum in se sit falsum. Hic non mentitur, id est, falsum non Ethicè, sed Logicè.

Fundamentum veritatis esse potest vel naturale cum oratio dicitur esse mentis index, vel divinum quia Deus est ipsa veritas, & veritatem omnes vult sectari.

Objectum primarium est *verum*. Secundarium, communicatio dictorum & factorum in quotidi[ana] hominum conversatione.

Veritati *in specie* & particulariter opponitur, quo[ad] *excessum* ἀλαζονεία, quando quis ea quæ non habet si[bi] arrogat: quoad *defectum* εἰρωνεία, cum quis id quod habet dissimulat. Viro autem bono simulare & dissimu[la]re non licet in fraudem proximi (at licet joci causa, ad utilitatem proximi, ad divinam gloriam amplifican[dam]) contradicit enim omnis sana ratio, omnis sapien[s] antiquitas, imò ipse Deus detestatur mendaces bilin[gu]gues. Valeant ergò Pseudo-politici moderni, quibus ar[t]ificiosum est, aliud ore offerre, aliud corde volvere, magnatum placitis se accommodare, tempori servire &c. Teneatur potius hæc regula: Melius est pro veri[t]ate pati supplicium, quàm pro adulatione beneficium.

In *genere* autem veritati opponitur *mendacium*, quod in judiciis dicitur falsum testimonium, falsa defensio, vel falsa sententia.

Est autem *mendacium*. 1. *jocosum*, joci & delectandi causâ, non decipiendi. 2. *Officiosum*, quod nonnullis prodest, bonis non obest: Quale in Rebecca, Iacobo, Iosepho, obstetricibus Ægypti, Rachab, Iehu, &c. Atq; hoc dic[i] non potest peccatum, cum non fiat animo & habitu mentiendi, sed proximum juvandi. Vnde factum Rahab & obstetricum Ægypti ex fide profectum asserit scriptura. 3. *Perniciosum*, quod propriè mendacium, cum quis falsum studio profert contra proximum fallendi ergo: qualia Gnathonum, Thrasonum, &c.

Veritatis summa confirmatio dicitur *juramentum* (eo quod pro jure & lege habendum sit quod juratur) item *jusjurandum*, quasi Iovis jurandum.

Iurare autem omnino *licet*. 1. In causa religionis & veræ doctrinæ, quando de Dei gloria agitur. 2. Charitatis gratia privatæ vel publicæ inter regna & respubl. 3. In veritate. 4. In justitia. 5. In judicio ex rei ratione & necessitate vocationis exigente, aut magistratu imponente. 6. Quando omnis humana probatio cessat.

Nam 1. Causæ modo dictæ postulant.

2. Iuramenta per nomen Dei opportunè facta sunt mandata in scripturis.

3. Et Deus ipse & sancti aliquoties jurasse leguntur.

Est autem juramentum invocatio Dei, qua petimus ut sit testis

testis nostræ asseverationis, & puniat fallentem.

Duæ ergo juramenti partes. 1. *Dei* invocatio pro [veri]tate. 2. Nostra imprecatio si fallimus. Pejerare au[tem] est id non facere, quod ex animi sententia jurave[r]is: nam propriè perjurium non est, si, qui jurat, id ve[r]um putat, sed qui falsum scit, tamen jurat.

Finis juramenti est controversiarum terminatio & charitatis stabilimentum.

Id *per quod jurat* Christianus, aliud præter Dominum esse non debet. Nam 1. Per cujus nomen *juras*, ejus agnoscis veritatem & justitiam. 2. Iuramentum spectat ad secundum præceptum decalogi. 3. In scriptura prohibitum est jurare per creaturas, idola, res factitias & fictitias, &c.

Si tamen Christiano negotium sit cum Ethnico *jurante* per sua idola; hoc juramentum admittere poterit. Nam 1. Ethnici suis idolis magnam præstant reverentiam, & detestantur perjurium, 2. Aliter Ethnicis confirmare non potest suam veritatem. 3. Iacob admisit juramentum à Labano idololatra præstitum per Deum Nachor. Unde indubie jus civile concessit peregrino per suos Deos jurare, civi per suos. 4. Quia Ethnici, Iudæi, Turcæ, &c. Falsò jurantes perjuri fiunt, & à vero Deo puniuntur. Hæret enim in animo peierantis idololatræ offensi numinis opinio, & Deum esse putat suum idolum. Vnde Augustinus: Prorsus periurus es, quod per id quod sanctum putas, falsò *juras*. Hinc pœnas & in pejerantes, & eorum posteritatem damnâsse feroces, testantur historiæ.

Quocirca strictè *servandum juramentum etiam* vel *fraude extortum, etiam hosti datum*, v. g. à latrone spolianti: modo sit de re licita, possibili, verbo Dei & bonis moribus non contraria: Exempla Josuæ qui à Gibeonitis deceptus, fidem tamen servare voluit; & Zedechiæ, qui ob violatum pactum, quod metu periculi pepigerat cum Nabuchodonosore, graviter punitur; & eorum qui in desperationem inciderunt, cum non servârunt; præsertim cum jus divinum omne mendacium & perjurium prohibeat: & jus humanum suadeat jus esse fidem servare ei cujus est dare.

Officia viri veracis, candidi & sinceri sunt. 1. *Sit justus* & bonus qui veritatis amore non lucri causa verum dicit. 2. In dictis & factis sit per omnia sibi

similis. 3. Et sua non multum jactans. 4. Non curabit veritatem odium parere. 5. In rebus contingentibus & mutabilibus adjiciat has formulas: quantum mihi videtur, quantum mihi constat, &c. 6. Verum semper dicat quando obligatur, talibus personis, tali tempore, in tali causa, &c. 7. Aliàs cùm non tenetur verum dicere illud, ad quod tacendum per leges vel conscientiam obligatur non violabit leges taciturnitatis.

Est enim *Taciturnitas virtus, quâ arcana nobiscum continemus, quæ reprehensionem rectè judicantium incurrere possunt.* Et distinguitur à nonnullis in *honestam & necessariam.* Hanc vocant, quâ, sine Dei contemptu & publici boni dispendio, cognita nobiscum retinemus, ne in perniciem alterius divulgentur. Illam, quâ linguam tantisper continemus, donec conveniens loquendi locus detur. At juniores & inferiores inter superiores expectabunt loquendi occasionem, ut quando compellantur vel alii finem sermonibus imponunt.

Excessus est *garrulitas*, alii loquendi locum non concedens. *Defectus infantia*; cum quis instar stipitis, quando opus est, non loquitur aut respondet.

CAP. XII.

De Semivirtutibus in specie, nempe Continentia & Tolerantia.

IN genere de his actum est part. Commun. Cap. 9.

Continentia est virtus imperfecta, vel dispositio prosequens rectam rationem, ut dominium hæc obtineat in voluptates & cupiditates licèt reluctantes.

Accipitur vox continentiæ hic modo medio pro fræno parvarum concupiscentiarum vel repugnantis appetitus. Alias accipitur. 2. modo lato & generali pro temperantia.

At differunt intemperantia & incontinentia. 1. Tanquam habitus à dispositione. 2. Temperantia versatur tantum circa voluptates gustûs & tactûs: Continentia circa omnis generis sensuum. 3. Temperans agit consulto, ex plena voluntate habétq; cupiditates moderatas ad rectam rationem. Incontinens nondum planè domitas. 4. Intemperans incontinente est deterior ob habitum & diuturnitatem vitii, ideò incurabilis est, &

levissimis

levissimis abripitur voluptatibus. incontinens non nisi à vehementioribus; & facilé sanari potest.

Tertiò accipitur strictè à Theologis pro abstinentia ab omni delectatione venerea; quod donum continentiæ non omnes qui volunt, habere possunt: ut liquet experientia, & 1 Cor. 7. cum sit extraordinarium & peculiare Dei donum.

Differt continens à pertinace: Ille melioribus rationibus cedit. Hic nulla ratione a proposito etiam malo dimoveri se patitur, estq; Aristoteli in triplici discrimine, 1 Qui obstinatè suam sententiam defendit. 2 Indoctus qui licèt defendere nequeat opiniones, iis tamen adhæret 3 Rudis & agrestis perseverans in consuetis sive bonis sive malis opinionibus, aliorum rationes nec audire nec intelligere volens.

Objectum continentiæ *primarium*, sunt voluptates corporis vel sensuum. *Secundarium* sunt voluptates ex divitiis, honoribus, cupiditate vindictæ, &c. Unde dicitur continens vel incontinens iræ, concupiscentiæ, vindictæ, &c.

Est verò *incontinens concupiscentiæ deterior, quàm incontinens iræ*. Hic enim magis sequitur naturalem corporis dispositionem ex abundantiâ bilis, &c. nec ita dolo & insidiis rem agit; verum apertè, nec ita totus ambulat secundum sensum & sensu grata.

Extremum in *defectu* nomine caret, & vix reperitur, cum quis planè fugit omnes voluptates.

In *Excessu* dicitur incontinentia.

Tolerantia seu patientia *est virtus imperfecta vel* dispositio proba *rectam rationem sequens, quâ homo honestatis causa res adversas cum quodam dolore perfert, repugnante videlicet irascendi appetitu*

Differt á fortitudine. 1 Ut dispositio ab habitu. 2, Versatur circa pericula & mala imposita quæ depelli non possunt: fortitudo etiam circa adeunda pericula.

Objectum sunt *dolores*, qui perferendi.

Extremum in genere est *Impatientia*. In specie *Excessus* dici potest *pertinacia* vel obduratio nimia in perferendis doloribus sine honestatis ratione. *Defectus Mollicies*, qualis in Sardanapalo; vitium nullos dolores aut labores honestatis gratiâ perferens

INDEX

INDEX CAPITUM.

PARTIS COMMUNIS.

Cap. 1. Agit *De summo bono* civili, seu beatitudine politica.

Cap. 2. *De* ejus signo, *Voluptate.*

Cap. 3. *De actionibus humanis*, earúmq; requisitis & principiis. Ubi de consultatione, Electione, liberoq; arbitrio, &c.

Cap. 4. *De affectibus in genere:*

Cap: 5. *De amore & desiderio*, itemq; de *Amicitia.*

Cap: 6: *De odio & ira, Spe & Metu, Lætitia & Tristitia.*

Cap: 7: *De definitione virtutis Moralis*, & *justitiæ universalis:*

Cap: 8. *De divisione virtutis moralis*, ubi simul de virtutibus Homiliticis in genere.

Cap. 9. *De gradibus Virtutum* moralium, vel de perfectione & imperfectione earundem. Ubi de Semivirtutibus in genere; de virtute Heroica, & nobilitate. &c.

Cap. 10. *De oppositis virtutis* moralis & Heroicæ, nempe malo morali seu vitio in genere, deq; ignavia & feritate.

PARTIS SPECIALIS.

Cap. 1. *De justitia in genere, & de Distributiva in specie*, ubi simul de jure talionis.

Cap. 2. *De justitia Commutativa*, ubi de contractibus, furto & usura.

Cap. 3. *De jure & injuriis.*

Cap. 4. *De Temperantia*, ejusq; speciebus, abstinentia, sobrietate, castitate, &c.

Cap. 5. *De Fortitudine.* Ubi de Bello, Duello, &c.

Cap. 6. *De Liberalitate & magnificentia.* Ubi de avaritia, prodigalitate, luxu, &c.

Cap. 7. *De Modestia & Magnanimitate*, ubi simul de honore.

Cap. 8. *De mansuetudine*, ubi de ira & iracundia.

Cap. 9. *De Comitate.*

Cap. 10. *De Urbanitate.* ubi de ludis & jocis.

Cap. 11. *De veritate & Taciturnitate*; ubi de Mendacio, simulatione, juramentis, &c.

Cap. 12. *& ult. de Semivirtutibus* in specie, nempe Continentia & Tolerantia. Ubi simul de Pertinacia, &c.

FINIS.



p·
&
r9,
a·
i·
a-
e-
i-
i-
pc
&
e,
s,
a,
i-
de
o,
n-
&c